



1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.

DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
JURE ΠΡΟΤΙΜΗΣΕΩΣ
SIVE RETRACTUS.

Quam

SUB PRÆSIDIO ADORANDÆ SACRO-
SANGTÆ TRINITATIS

Ex Decreto & Autoritate

MAGNIFICI, NOBILISSIMI,
AMPLISSIMIQUE JURISCONSUL-
TORUM IN CELEBERRIMA ARGEN-
TORATENSIVM UNIVERSITATE

COLLEGII

Pro

Summis in utroque JURE Honoribus & Privi-
legiis ritè consequendis

PUBLICO AC SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI

Submittens

REINHOLDUS WETKEN
HAMBURGENSIS.

Ad diem Mens. Aug. horis locoq; consuetis

OS* *:(o):* *50

ARGENTORATI

Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DG, LIX.

240
2137
1659, 198
20
/

31

a 73





V I R O S

MAGNIFICOS, NOBILISSI-
MOS AMPLISSIMOS, CONSUL-
TISSIMOS

DN. MARTINUM SCHELE. J. U. D.

DN. PETRUM BRAUNS. J. U. D.

DN. THEODORUM AB EITZEN.
J. U. L.

DN. THEODORUM HARDEKOPH.
J. U. L.

UT ET

V I R V M

AMPLISSIMUM, CONSULTISSI-
MVM PRUDENTISSIMUM

DN. HERMANNUM WETKEN, Incl-
tæ Reip. Rostochiensis Senatorem Di-
gnissimum.

DNM. Affines, Cognatos, Fratrem, Patronos
suos æternum Honorandos

Dedicacione presentis Disputationis sue
IN AVGVRALIS

Observanter

Venerari voluit debuit

REINHOLDUS WETKEN.

I. N. D. N. I. C.

PROOEMIUM.

Familiarum dignitatem & splendorem fulcrum & sustentaculum esse omnium florentissimarum rerum publicarum, testis est, rerum omnium magistra, experientia: testes quoque sunt tam sacræ, quàm profanæ historiæ monumenta. Confer. Bodin. *lib. 5. de Rep. cap. 2. Vultei, consil. Marpurg. 29. n. 33. & seqq. vol. 2.* Idem calculo suo jam olim approbavit I. C. Ulp. *in l. 1. §. 13. de insp. ventr.* dum ait: *publice interest, ut ordinum dignitas familiarumq; salva sit.* Ut verò familiarum habeatur ratio, necessum est, ut bona in iis conserventur, & alienata ad eas revertantur. Bonorum enim accessione magis magisque familiarum decus augeri & conservari, & sine iis decrescere ac sordescere, apud omnes in confesso est. Ern. Cothm. *consil. 19. n. 12.* Wesenb. *consil. 4. n. 33.* Tiber. Decjan. *resp. 1. n. 290. resp. 6. n. 69. resp. 17. n. 28. vol.* Qua ratione moti legumlatores multa perutilia jura familiarum conservandarum causa introduxerunt. *fac. l. cum bona. 16. ff. de reb. aut. ind. poss. l. 62. ff. de contrah. empt.* Inter quæ, tanquam gemma ex auro elucet **JUS RETRACTUS.** Quo de, exantlatis nuperrimè juris Candidati examinibus, theses quasdam conscriptas solenni Eruditorum examini subijcere constitui. Quam ipsam materiam multis flosculis ora-

lis oratoriis condecorare ac commendare ideo supervacaneum duco, cum utilitatem suam ipsamet ostendat, maxime, cum etiā teste Tiraquello in elegantissimo tractatu *de Retractu Munic. & Convent. in princ.* omnium fere gentium institutis & moribus sit approbata & recepta, Uti autem utilissima, ita simul & intricatissima est, quod Benedello *in rubr. ad const. Frid. de jure Protim.* teste, quotidie animos domi consulentium, in foro versantium & lites definiendum fatiget. Quamobrem si in eadem pertractanda alicubi hallucinatus fuero, eò facilius à benevolo Lectore (zoilos enim non curo) me veniam impetraturum spero atque confido. Faxit autem DEVS TRINUVS, sine quo nil majus existit, & nihil unquam commode geri potest *Nov. 164. in p̄satis.* ut quod coëpi opus, felicem sortiatur finem.

Thesis I.

Plurato Divini Numinis auxilio nunc rem ipsam aggredior. Cum autem inter ea, quæ juris studium difficile & impeditum reddunt, sit imprimis, *ἐταξία καὶ ἀνοδία*, monente Magnif. & Ampliff. Du. D. Tabore IC. consummatissimo, Doctore meo nunquam sine laudis encomio nominando, *in jurispr. elem. in pr.* Ideo ne *ἀνοδός* hic processisse videat, methodo Jctis in Synthetica jurisprudentia familiari, & in C. I. A. *in p̄satis tom. 1.* Juris Studiosis commendata utar consideraturus materiam hanc tam in parte generali, definitione scil. tum nominis, tum rei, & divisione: quàm speciali, causis sc. tam consentaneis quam dissentaneis & effectu.

II.

Ἔτυμολ.

Cum autem nomina & appellationes rerum soleant in primo cujusque negotii aditu considerari, ut eò facilius ad ipsa rerum quis deveniat adyta. arg. l. 1. *pr. ff. de l. & l. p̄mittit* vocabulorum *πρωτιμύσεως* & Retractus *ἔτυμον*. Et quidem *πρωτιμύσεως* vocabulum derivatum à verbo *πρωτιμάω*, quod est p̄fero, quod

quod illi, quibus hoc jus competit, extraneis præferantur, Scapula in Lexico Græco in hac voce docet. Retractus autem vocem à supino verbi retrahere inflecti, Grammaticorum filii norunt. add. Calvin, in Lexic. jurid. in voce Retract.

III.

Sumitur verò Retractus vox dupliciter (1.) generaliter & Homonymatè, ita ut etiam pactum de retrovendendo comprehendat. Thom. Michael. apud Klock. 2. consil. 42. n. 441. in qua acceptione voce hac etiam C. I. A. tit. de contrah. empt. th. 26. n. 5. Wesenb. in comm. de rescind. vend. n. ult. Perez. in tit. C. de pact. int. empt. & vend. n. 12. uti videntur, quæ tamen quod non debeant confundi, ex iis quæ infra attulimus manifestò apparet. Addatur Martin. Pegius, qui post quatuor integros libros de jure retractus conscriptos, libro singulari de pacto de retrovendendo agit. (2.) Specialiter pro Retractu in specie sumto tam conventionali quam gentilitio. Thom. Mich. ap. Klock. d. l. n. 444. Plenius ambiguitatem vocis hujus evolvit additionator C. I. A. d. l. §. 27.

IV.

Exprimitur jus προτιμώσεως synonymicè aliis etiam nominibus. Præter enim Retractus nomen, vocatur etiam Jus præhonorariū, præsentationis, prælationis, oblationis, Recomperæ, quæ vox Italica solennis est, significans recuperationem, quod sc. consanguineus rem venditam recuperet. Tiraq. d. tr. in præf. num. 4. Dec. consil. 222. col. 2. vers. sed hic. consil. Argent. vol. 2. cons. 33. n. 5. Præclusionis, quod aliis emptoribus hoc jure via quodammodo præcludatur. Item jus Congruum, quod æquitati congruat, eos, quibus jus hoc competit, ad emptionem rerum distractarum seu distrahendarum potius admitti, quam alios. Bened. in rubr. d. tract. de j. Prot. n. 6. argum. l. congruit. C. de locat. pred. civ. vel fist. vid. Tiraq. in præf. d. tract. n. 3. Peg. d. tract. 1. c. 1. n. 1. Thom. Mich. ap. Klock. d. l. n. 444. In nostra vernacula appellatur, der Nähertauß / Vorkauß / Vorgelt / Zugrecht / Kaußzugrecht / Einstand / Abtrieb / Lösung / Nähertung. Conf. Reink. de Retr. consangu. qu. r. n. 8. Wehner. in verb. lösen.

Synonyms.

V.

Et licet jus προτιμώσεως à variis variè definiatur; puto tamen, illud in genere non incommode sic describi posse, quod scilicet sit jus prælationis certis personis competens ad rem immobilem

Definitio

A 3

vel

31

vel hujus jure habitam, per venditionem venditionive similem contractum alienatam intra certum tempus redimendam. Plebst. disp. 2. ad jus munic. Wittemb. th. 153. Cujus singula verba cum in subsequentibus thesibus veniant explicanda, nolumus hic in iisdem examinandis moras necere.

VI.

Divisio.

Dividitur à Dd. communiter Retractus in Legalem & Conventioalem. Legalis dicitur, qui datur ex legis concessione si-
ve jure communi. vid. l. fin. C. de jur. Emphyt. sive municipali h. c. statutis & consuetudinibus provinciarum. Conventio-
nalis verò, qui voluntate & consensu privatorum constituitur. Municipalis rursus à Bocero class. 2. D. 20. §. 8. subdividitur
(1.) In territorialem, germanicè, die Marklöfung/ qui civibus & incolis & ex his prævenienti competit, si res quædam immobilis in territorio vel banno alicujus loci sita in forensem seu extra-
neum alienetur. (2.) In censualem, die Zinslöfung/ qui compe-
tit his, qui ex prædiis suis, quæ singuli possident, communem censum fundiarium aut impositivum eidem Domino quotannis tribuunt, adversus eum, qui à possessore ejusmodi prædii tale prædium alienationis titulo comparavit, hoc sine, ut fundi isti censuales, quoad fieri potest, ab uno, non verò à pluribus possideantur, & ita in partes scindantur. Plebst. d. l. th. 160. Ubi notandum, quod pluribus concurrentibus potior sit ille, qui majorem prædiorum censualium partem jam ante possidet. Boc. d. Disp. §. 26. nisi quis minorem partem possidet civis vel incola esset, is vero, ad quem major pars spectaret, extraneus foret, tunc enim minor pars ad se trahit majorem. Boc. d. §. 26.
(3.) In partialem, die Theillofung/ qui competit domus vel horrei partem possidenti, divendita alia parte ejusdem domus vel horrei adversus partialem emptorem. Ubi notabilis quæstio ventilari solet, An domum venditam inhabitans inquilinus vicino retrahere volenti præferatur. Negativam tenet Matth. de Aff. tr. de jur. protim §. si autem concurrat 8. (4.) In Gentilitium, qui alias agnaticia fundorum redemptio & retractus consanguinitatis dicitur, die Erblöfung / das Freundrecht. Jerem. 32. v. 7. quem Reink. d. tract. describit, quod sit rei immobilis extra familiam vel remotiori venditæ, ex capite consanguinitatis & proximitatis intra tempora statuta legitimè facta redemptio. Paulo aliter eum de-
finit

finis Petr. Greg. Tholof. in Syntagm. jur. univ. lib. 26. c. 1. num. 4.
Quod sit facultas rem immobilem venditam æquali pretio jure
proximitatis redimendi, intra certum tempus competens. Et
circa hunc potissima hujus disputationis pars vertitur. Hæc de
parte generali.

VII.

Sequitur pars specialis, quæ, uti diximus, absolvitur causis, *Pars spe-*
tam consentaneis, quàm dissentaneis, & effectui. Consentaneæ *cialis.*
causæ sunt, vel externæ, vel internæ. Externa alia est efficiens
alia finalis.

VIII.

Et quidem causam efficientem juris retractus statuo jus gentiū. *Causa ef-*
Nam non tantum jure Divino in Politia Judaica jus retractus ob- *ficiens.*
tinuit, uti ex ipsis sacris edocemur fontibus. Levit. 25. vers. 24. 29.
30. 31. 32. Ruth. c. 4. v. 4. & seqq. Jerem. 32. v. 7. Ezech. 7. v. 13. Tiraq.
in pt. n. 7. vid. Cothman. consil. 42. vol. 4. Myns. 3 Obs. 51. Pegius.
1. de jur. Retr. Melon. in thesaur. jur. T. 11. n. 1. Verum etiam Æ-
gyptii & Chaldæi, in Schola Danielis edocti, idem approba-
runt, ab his ad Græcos, à Græcis tandem ad Romanos pervenit,
uti ex his vestigiis, quæ habemus in l. 14. C. de contrah. empt. l. ult.
C. de jur. Emphyt. l. un. C. non lic. habit. metroc. l. 60 de pact. l. 16.
de reb. aut. jud. poss. l. 1. C. de metall. l. 35. ff. de minor. l. 62. ff. de
contrah. empt. colligere licet. Approbatum idem jure Canonica.
c. constitutus. junct. gl. extr. de in int. restit. & jure feudali. 2. F. 3.
§. 2. 2. F. 9. §. 1. 2. F. 26. § Titius filios. Rosenthal. in Synops. jur.
feud. c. 9. concl. 87. n. 2. & exinde moribus etiam apud nos Germa-
nos obtinet, & secundum hos in Camera Imperiali quotidie pro-
nunciari testatur Gail. 2. Obs. 19. Myns. alleg. loc. & jure Saxo-
nico. Landt. lib. 2. art. 52. Nov. Elect. Aug. p. 2. const. 31. versic.
So viel aber. & ibi Dan. Moll. in comm. n. 2. De Italia & Gallia
aliisque Regionibus, in quibus illud quoque obtinet testatur
Tiraqu. de retrait. lignag. in præfat. in princ. conf. Reink. in d. tra.
q. 1. num. 10. & seqq.

IX.

Cum verò circa hoc jus statuta in primis locorum & con-
suetudines observentur, facile exinde colligitur, statuta vel
consuetudinem esse causam propinquam hujus juris. Berlich.
p. 2. concl. 39. n. 12. Wesenbec. in π. de resc. vendit. num. 6. vers.
item

item moribus Rosenth. de feud. cap. 9. membr. 2. concl. 86. n. 2. unde
municipalis & consuetudinarius dicitur Chassan. in consuet. Bur-
gund. tit. de retr. pr. n. 1.

X.

Causa impulsiva hujus juris est affectio & admiratio rerum
à majoribus provenientium. conf. text. l. 22. C. de admin. tut.
ibi: nec vero domum. &c. & l. 35. ff. de minor. vid. late differ. Tiraqu.
in d. praf. n. 33. & seqq.

XI.

Finis. Finis est tum conservatio familiarum, ut sc. res in eam, ex qua
exierat, familiam revertatur; tum ut exclusis plane extraneis,
apud quocunque modo conjunctos res vendita potius maneat.
Conf. Reink. d. tract. qu. 3. num. 48. & seqq. Benedell. hanc affert
rationem in rubr. ad const. Frid. de j. Protim. n. 12. & §. verum. n. 49.
ut pax conservetur, occasiones dissensionum removeantur &
cognitionis proximitatisque ratio habeatur per l. 4. C. de locat.
pred. civ. l. 35. ff. de minor. conf. Tiraqu. d. praf. n. 56. & §. 30. n. 5.
conf. quæ etiam in procem. dixi.

XII.

Causæ internæ sunt materia & forma. Materia est vel sub-
jectiva vel objectiva. Subjectivam duplicem constituo activam
& passivam. Subjectum agens constituunt personæ, quæ ad
Retractum admittuntur: Patiens, adversus quas detur. vid. infra.

XIII.

Subjectū. Subjectum agens facilius intellectu gratia consideran-
dum in thesi & æpore. In thesi competit jus retractus personis
venditori aut venditrici tempore venditionis sanguine junctis.

XIV.

Non verò masculis tantum, sed etiam fœminis: quia in
iis eadem ratio est quæ in maribus, quantum ad jus retr. atti-
net: cum æque sint de familia, genere, & consanguinate ac ma-
sculi. vid. Tiraqu. §. 1. gl. 9. n. 179. & seqq. & aliàs quoque in ma-
teria indifferenti appellatione consanguineorum, propinquo-
rum, conjunctorum comprehendantur pariter fœminæ. vid. Ti-
raqu. gl. n. 200. & seqq. Reink. d. tr. q. 2. n. 22. & seqq. Quamvis
si statuto aliquo à successione excludantur, etiam à retractu exclu-
sæ intelligantur. Tiraqu. §. 1. gl. 8. n. 13, 14. C. I. A. §. 28. de contrah.
empr. Bened. d. pr. n. 207. Atque hæc quæ de fœminis diximus,
etiam de innuptis intelligenda sunt, non tantum de nuptis.

XV.

XV.

Dixi in *l. 12.* quod hoc jus competat personis venditori sanguine junctis, non verò ei, à quo primum bona alienata processerunt. Quia retractus sequitur naturam successionis ab intestato, in qua præfertur proximior defuncti, non stipitis. *l. 10. § 2. ff. de vulg. & pup. subst. Schrader. consil. 12. num. 321. conf. Berlich. p. 2. concl. 39. n. 27. junct. n. 24. vers. quia jus protim. Tiraqu. §. 11. gl. 1. n. 18. Valent. Forster. de success. ab intest. lib. 3. cap. 30. num. 17.*

XVI.

Necesse verò est, ut proximior consanguineus hoc jure tempore venditionis utatur, ne proximior postea nato, prior excludatur. Ante enim proximior agnatus dici non potest, quam natus est. *Marc. Mant. de jur. proxim. n. 50. & propterea eum, cui semel jus quæsitum fuerat, à retractu remove non potest. Nisi postea natus tempore venditionis fuerit conceptus, argumento à jure successionis ducto. fac. l. 26. ff. de stat. hom. l. 1. §. 8. ff. unde cogn.*

XVII.

Cum verò personarum magna sit diversitas, hæcque faciat, ut non omnibus æqualiter hoc jus tribuatur, videndum, quo ordine competat. Omnium primum igitur competit descendentes, secundum ordinem ab Imp. Justin. in Nov. 118. præscriptum, i. e. liberis naturalibus & legitimis simul, siue sui sint, siue emancipati; eum per emancipatos non minus honor & dignitas familiæ conservetur, ac per suos. *l. 69. §. fin. de leg. 2.*

Quo ordine competat ius Retractus.

XVIII.

E. quorum censu non excludo etiam per subsequens matrimonium legitimatos: quia æquali jure cum legitime natis gaudent. *l. 11. C. de natur. lib. Nov. 89. c. 8. c. 6. X. qui fil. sint. legit. conf. Gail 2. Obs. 141. n. 2. Bachov. ad Treutl. vol. 2. D. 16. §. 2. lit. b. Nobil. & Ampliff. Dn. D. Rebhan, incluta hujus Universitatis Antecessor celeberrimus & Juridica Facultatis Senior, Præceptor meus, debito honoris & observantia cultu suspiciendus in Hodeg. ch. 2. clim. 3. §. 44.*

XIX.

Secunda ratio habetur ascendentium. Si nimirum quædam bona avita ad filium, nepotem, & reliquos descendentes aliunde

B

per

XV.

per testamentum vel alium modum pervenerint, & illi eadem alienare velint. Tiraqu. d. tr. ad fin. tit. n. 92. 93. Berlich. concl. 39 num. 38.

XX.

Tertius ordo est collateralium, non extantibus sc. descendibus & ascendibus, perinde ut in successione: Prout verò quisque proximior se esse probaverit, jure retractus gaudet. vid. Myns. 3. Obs. § 1. Gail. 2. Obs. 19. De his autem consuetudines & statuta locorum sunt attendenda. Jure Saxonico jus hoc collateralibus non competere statuit Richter. dec. 76. n. 32, verum Berlich. d. concl. 39. n. 22, contrarium se observasse testatur. vid. Coler. decis. 23. n. 2.

XXI.

Remotiores etiam ad retractum admittendos censeo, si proximiores suo jure uti nolint. Cum res non minus per remotiores, quam proximiores conservent r. Tibe. Decian. resp. 7. num. 53. lib. 1.

XXII.

Cumque in infinitum collateralium successio extendatur. §. 3. l. de legit. agn. success. l. 2. §. 1. ff. de suis & legit. Nov. 118. c. 3, §. ult. & c. 4. Don. 9. comm. 4. Treutl. vol. 2. Disp. 16. d. 5. in fin. & ibi Bach. eo usque etiam jus retractus extenditur. Quamvis contrariam sententiam foveat Tiraqu. qui decimo gradu jus hoc circumscriptum, nec ultra illud admitti, tradit. §. 1. gl. 9. n. 23.

XXIII.

Quid juris, si plures personæ vocentur sub termino generali, vel indefinito, vel colectivo, puta familiæ, generis, consanguineorum & id genus similium? respondeo distinguendo, an omnes vocati sint in eodem gradu propinquitatis constituti, an verò in diversis gradibus. Priori casu omnibus res empta pro æquali portione competit. Matth. de Affl. de j. prot. §. 1. n. 42. Tiraq. d. §. 11. gl. 10 §. 1. & 2. Quod verum est, si res emta est dividua; secus si individua, ut servitus, tunc enim rectè inter plures præfertur is, qui prior provocavit: & si omnes simul provocarunt, sorte res est dirimenda. l. 13. & l. seq. ff. de judic. Tiraqu. d. §. 11. gl. 10. n. 4. Berlich. d. concl. 39. n. 26. Cæteris autem retrahere nolentibus, hi in solidum jure accrescendi admittuntur. arg. l. 2. ff. si pars hereditatis pet. l. un. C. qu. non pet. part. accr. Tiraqu. d. §. 11. gl. 11. Posteriori

rioni casu, remotioribus exclusis, propinquioribus jus revocandi conceditur, ita ut proximior primo loco, deinde ceteri admittantur. l. 32. §. 6. l. 96. §. 3 ff. de leg. 2.

XXIV.

Hic occurrit elegans quæstio, an consanguinei juri huic quæsito tam specialiter, quam generaliter & indefinitè renunciare possint. Quam affirmo: Beneficia enim legis & consuetudinis eam recipiunt conditionem, si ii in quorum favorem fuerint concessa, eis uti velint. fac. l. 51. C. de Ep. & Cler. l. pen. C. de pact. v. C. A. de contrah. empt. 0. 30. in fin. Tiraqu. §. 1. gl. 9. n. 111.

XXV.

Nec minus inutilis est hæc quæstio: An per cessionem vel alium modum jus hoc retractus in alium transferri possit. Quam distinctionis fœdere conciliamus hoc modo: Quod si (1.) consanguineus proximior hoc jus alii cognato ex familia cedat, vendat & donet, tunc ejusmodi cessio valeat. Matth. de Afflict. d. tr. §. 1. n. 43. Ita ut si remotiori cesserit, consanguineus intermedium possit revocare. arg. c. Titius 2. F. 26. Tiraqu. §. 11. gl. 6. n. 6. Berlich. d. p. 2. concl. 39. n. 29. Quod si verò (2.) consanguineus jus protim. cedat, vendat & donet extraneo, tunc cessio non valeat. v. Gail. 2. O. 19. n. 10. cum hoc jus ideo sit concessum, ut res majorum in familia retineantur. Agnatis verò non reclamantibus, omnino valet. Boër. decis. 139. Videatur Thomas Michael ap. Klock, 2. conf. 57. n. 32. & seqq.

XXVI.

Hæc quæ 0 præced. dicta sunt de prohibita cessione juris retractus, non veniunt extendenda ad retractum conventionalem, secundum veriore & communiolem sententiam per l. fin. C. de hered. vel act. vend. Tiraq. §. 26. gl. 3. n. 1. & seqq. n. 42. & seqq. Berlich. d. concl. 39. n. 42. & seqq. Borcholt. de pact. c. 6. num. 54. 55. Georg. Everhard. consil. 45. n. 7. vol. 1. Vultei. 3. consil. Marpurg. 21. n. 233.

XXVII.

Haftenus tractatum est de descendantibus, ascendentibus De ijs quo & collateralibus, sequitur ut etiam videamus illos, quorum jus rum jus aliquantulum videtur limitatum. Quales sunt Clerici: Hi enim liquantū à retractu non excluduntur per text. in c. constitutus. X. de in in- videtur li regr. rest. cum eadem ratio hic obtineat, quæ inter laicos, quod mitatum.

B 2

nempe

nempe sit res patrimonialis, retrahens proximior, & statuta de hoc jure disponantia sint generalia & communia laicorum & Clericorum. Consule Math. de Affl. de jur. prot. §. 1. n. 8. & seqq. vid. Nicol. Boër. decis. Burdegal. 231. n. 2. Paul. Christin. decis. cur. Belg. vol. 3. decis. 57. n. 5. Berlich. p. 2. concl. 39. num. 83. Tiraqu. §. 1. gl. 13. n. 2. & seqq.

XXVIII.

Sic quoque jure Retractus non privatur consanguineus qui contractui, quo res, retractui ohnoxia, vendita est, præsens interfuit, arg. l. 8. §. 15. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. maxime eo casu, quo impedire actum venditionis non potuit. Gomez. in comment. ad l. Tauri. 70. cum §. seqq. n. 26. Gothofr. Anton. D. Feud. 10. §. 6. lit. b. Tiraq. d. §. 1. gl. 9. n. 148. 149. nisi dolose aut fraudulenter tacuerit. Tiraq. d. §. n. 156.

XXIX.

Neque ille, qui interpellatus rem oblatam emere renuit, & eo ipso licentiam dat alienandi venditori cuicumq; velit, à retractu excludendus. Consensus enim ad venditionem accomodatus non potest trahi ad retractum, qui est actus plane separatus, ex ipsius demum venditionis perfectione firmiter competens. Carol. Molin. in consuet. Paris. §. 13. gl. 1. n. 9. vid. Berl. concl. 40. n. 39. Tiraq. gl. 9. n. 115. & n. 145. Bocer. cl. 3. disp. 22. §. 54. Schurff. consil. 132. Sonsben. de feud. p. 13. n. 138. & seqq. Andr. Fachin. 7. controv. c. 10. Vultei. 1. Feud. 1. num. 109. Chassan. ad consuet. Burg. tit. de retr. §. 10. ad verb. au. prejud. du lignag. num. 2.

XXX.

Idem dicendum de eo, qui instrumento, super venditione facto, propria manu subscripsit: non enim ut consanguineus, sed ut testis actum subscriptionis & sigillationis exercuit; quod damnosum ei ac ejus heredibus esse nec potest, nec debet. l. 34. §. 2. de leg. 2. Cujac. 3. Obs. 11. Marc. Mant. de jur. protim. num. 31.

XXXI.

Quid dicendum de consentientibus, vendentibusve nomine alieno, ac ratione officii, sibi à jure communi vel municipali aut à Magistratu commissi, ut sunt Judex, tutor & curator, advocatus, Procurator, Notarius, an hi nomine suo ad Retractus admittantur.

mittuntur? Respondeo affirmando: cum officium suum ne-
mini debeat esse damnosum. l. 7. ff. testam. quem. aper. Secus est
in fidejussore, quoniam fidejubens censetur consentire contra-
ctui, pro quo fidejubet. l. 1. §. 3. & ibi gl. & Dd. ff. quod jussu. l. 11.
C. de Evict.

XXXII.

Nonnunquam ex persona Consanguineorum etiam alii admit-
tuntur ad Retractum, ut sunt (1.) Heres Consanguinei extraneus,
si sc. intra legitimum tempus defunctus rem venditam petierit
& retrahere ceperit. Tholosan: d. l. 26. c. 15. n. 2. (2.) Maritus ex
persona uxoris, cum sit legitimus uxoris procurator. l. 21. C. de
Procur. Gail. 1. Obs. 133. Tiraq. §. 10. gl. un. per tot. Martin. Peg.
l. 1. c. 32. Non vero sponsus pro sponsa. Quamvis respectu do-
tis aliud sentire videatur. Tiraqu. §. 10. gl. un. num. 8. (3.) Pater
nomine Filii. Tiraq. §. 1. gl. 10. num. 101.

XXXIII.

Et hæc de Subjecto agente in *thōis* consequens est, ut etiam *Subj. agēs*
in *ἀγοῇ* illud consideremus. Cum igitur, ut diximus, retrahe- *in ἀγοῇ.*
re possint liberi naturales & legitimi simul, hinc à retractu exclu-
duntur omnes isti, qui illegitimè nati sunt, quos bastardos appel-
lamus Gail. 2. Obs. 88. n. 20. Tiraq. §. 1. gl. 8. n. 4. & seqq. Gomez. ad l.
Tauri. 70. n. 4. Pegius. d. rr. 1. c. 8. Quirin. Kubach. cent. 2. dec. 9.
q. 8. Berlich. p. 2. concl. 39. n. 45. Myns. 1. O. 35. n. 10. ii sc. qui
non sunt legitimi arg. Nov. 74. c. 2. pr. Nov. 89. cap. 9. in fin. §. 1.
Marth. de Afflict. add. constit. §. tota hæc lex. n. 47. Cum jura san-
guinis non habeant, & propterea neque agnati, neque cognati
dicantur. l. 4. ff. unde cognati. nec ullam respectu paternorum bo-
norum ab intestato successionem habeant. l. 8. C. de nat. lib.

XXXIV.

Secus se res habet respectu bonorum maternorum: cum
enim matri, ut jure naturali cognati, succedant, §. 3. inst. de SC.
Orphit. (nisi illa fuerit illustris & præterea alios legitimos libe-
ros reliquerit. l. 5. C. ad SC. Orphit.) eodem jure in rebus, à matre
venditis jus protimis sibi vendicant. l. 2. l. 4. 8. ff. unde cognati.
Gail. 2. Obs. 88. n. 20. Treutl. vol. 2. disp. 16. §. 3. lit. d. Petr. Greg.
in syntagm. jur. d. lib. 26. c. 17. n. 10. Joh. Gutierrez. pract. qn. 155.
n. 1. lib. 2. ibi: si bastard. matri succed.

B 3

XXXV.

XXXV.

Sic quoque excluduntur Legitimati per Rescriptum Principis, Myns. 3. Obs. 26. Gail. 2. Obs. 140. nisi Princeps expresse ad hoc etiam legitimaverit naturales, ut cognationis jura habeant, & retractu proximitatis uti possint, Forster. de success. l. 6. s. 39. n. 4. Ludvel. in comm. inst. p. m. 362.

XXXVI.

Pariter nec jus Retractus habent liberi Adoptivi, cum non sint veri sed ficti filii, Tiraq. §. 1. gl. 8. n. 16. nec in statutis filiorum appellatione contineantur. conf. Forster. de succ. ab int. l. 5. cap. 7. per tot.

XXXVII.

Neque affines jure hoc gaudent Bertrand. consil. 236. Cothm. 1. cons. 39. num. 2. Pegius. 2. cap. 38.

XXXVIII.

Minus admittuntur filii spirituales, Tiraq. gl. 8. n. 18. Nec Monachi, nec Moniales, nec Vestales, aliaque personæ, quæ ex canone vel statuto incapaces sunt bonorum immobilium, cum nulla in eas affectio rerum majorum, quibus se sponte abdicarunt, cadere possit, indeq; pro mortuis seculo habeantur, l. 56. Deo nobis C. de Episc. & Cler. Aliud tamen est in Clericis, qui ex canone propria bona possident, quia illi rectè hoc jure utuntur. conf. 0. 27. sup.

XXXIX.

Ipsa etiam Ecclesia & Monasteria excluduntur, Tiraq. gl. 8. num. 20. Gail. 2. Obs. 136. num. 7.

XL.

Excluduntur præterea ingrati, qui vel vitæ venditoris aut familiæ ejus insidias struxerunt, vel eidem atroces injurias vel manus impias intulerunt, vel grande in patrimonio damnum dederunt. Const. Frid. de jur. protim. vers. licet.

XLI.

Excluduntur etiam Deportati, item Banniti. v. Gail. 2. de pac. publ. 1. n. 18. Tiraq. §. 1. gl. 9. n. 27. Petr. Denais in jur. Cam. tit. 49. verb. Bannum. Peg. cap. 7. Wehner. in verb. Acht.

XLII.

Tandem à retractu excludimus (1) Venditorem ipsum arg l. 9. ff. de neg. gest. l. 14. §. 9. ff. de adil. ed. Tiraq. §. 1. gl. 9. num. 33. Item (2.) Fra-

(2.) Fratres, qui commune prædium vendiderunt. Tunc enim unus eorum alterius partem retrahere non poterit, quia quamvis ex multis venditoribus, quilibet partem suam tantum vendere censeatur. l. 110. ff. de V. O. l. 11. §. 1. ff. de duob. reu. constitut. tamen cum res sit communis, unus alteri consensisse præsumitur. l. 77. cum pater §. libertis. 27. & ibi Dyn. & Bar. ff. de leg. 2. & l. Titius in pr. ff. quib. mod. pign. vel hyp. solv. & Bald. in l. ult. C. ad SC. Maced. M. Peg. d. tract. l. 2. c. 12 per tot. Tiraq. d. §. 1. gl. 9. n. 256. Item (3.) Qui ad alterius commodum, non suum, sed in fraudem emptoris retrahere vult. Gail. 2. O. 19. n. 10. Gædd. consil. 19. n. 140 vol. 1. Paul. Christin. decis. Cur. Belg. vol. 1. decis. 302. n. 18. vid. qua infra notata in tertio requisito. (4.) Non totā rem venditā sed partem ipsius retrahere volentem. l. 78. §. 2. de contrah. empt. l. 13. de in diem add. Tiraq. §. 23. gl. 1. n. 16. & seqq. (5.) Qui juri huic tacite vel expresse renunciavit; tacite, cum tempus in quo agere potest, labi sinit, Expresse, si per pactum privilegio suo renunciavit, quod fit emptori promittendo, se contra eum hoc jure nunquam usurum. Matth. de Affl. d. rr §. 6. n. 18. & 20. Nic. Boër. decis. 76. n. 9. Pegius. 2 c. 9. l. 1. §. 6. ff. de succ. ed. (6.) Venditoris heredem, qui ipse approbare tenetur gesta ejus, cujus factum improbare non potuit. l. 14. C. de R. V. adeundo enim hereditatem voluntati defuncti in omnibus satisfacere intelligitur. l. 7 C. de l. caus. Nisi sit proximior, & suo, non heredis nomine retrahere velit. vid. late disserent. hac de re Reink. q. 2. n. 368. & seqq. (7.) filium vivente patre rem paternam vendentem, eandemque post mortem ejusdem retrahere sagentem. arg. l. 7. §. 2. ff. ad SC. Maced. Tiraq. ad fin. tit. n. 100.

XLIII.

Tantum de subjecto agente, sequitur subjectum patiens, sc. ij, adversus quos detur jus Retractus. Nempe adversus quemcunque emptorem, non tantum laicum, sed etiam Clericum. Tiraq. d. §. 1. gl. 13. n. 2. & seqq. Imo contra Ecclesiam ipsam: contra ementes ab iisdem. Tiraq. d. gl. 13. n. 11. & 13. pupillum & minorem. arg. l. 32. §. 6. de adm. & peric. tut. Contra ultimum possessorem, si ab emptore res iterum alienata est Gail. 2. O. 19. n. 6. Gomez. ad d. l. n. 36. etiam si per mille manus transferit. Marc. Mant. in comm. ad l. dud. C. de contrah. empt. Benedel. ad rubr. d. constit. num. 47. quia primus emptor non potuit venditione novā rem...

Subjectū
patiens.

rem ad alium transferre, nisi cum sua causa. l. 18. §. 2. ff. de pignor. act. l. 67. ff. de contrab. empt. l. 13. §. 1. de acqu. vel am. poss. Nic. Boër. decis. Burdeg. 182. num. 52. contra possessoris heredes, possessore mortuo, arg. §. 1. instit. de perpet. & temp. act. contra venditoris consanguineum remotiorem, cui ab initio res fuit vendita. arg. c. Titius. 2. F. 26. Vultei. 1. de feud. II. n. 96. Rittersh. lib. 2. part. feud. c. 2. q. 26. Wurmbser. Obs. tit. 51. Obs. 4. n. 8.

XLIV.

Qua occasione etiam solet quæri. An contra Principem detur. Neg. ratio enim supremæ potestatis Principem à statutis subditorum eximit, & intuitu universalis Domini fortius jus, quam consanguinei in rebus subditorum habere videtur. vid. Reink. q. 3. num. 162. & seqq.

XLV.

Objectum Post materiam subjectivam, agendum nunc de objectiva, Quibus sc. in rebus & contractibus retractui locus sit.

XLVI.

Primò igitur Retractus locum habet in rebus extra familiam alienatis, non solum avitis paternis & gentilitiis, (quæ vulgo Stammgüter dicuntur) sed quibuscunq; patrimonialibus & hereditariis, vulgo Erbgüter. vid. Gomez. in comm. ad l. 70. cum §. seqq. Tauri. n. 3. fol. 530. Joh. Gutierrez. pract. qu. 148. Ad hoc verò, ut bona dicantur majorum, seu gentilitia & avita, non sufficit, quod ex patris hereditate, via successionis, ad nos devolvantur, sed necesse est, ut à majoribus nostris proveniant, licet aliquando mediatè, nò ab ascendentibus, sed collateralibus, qui nobiscum à communi quodam stipite descendunt, capiamus, habita semper communis stipitis & primi acquirentis ratione. Per bona hereditaria intelligo bona ex hereditate vel ascendentium, vel descendentium, vel collateralium acquisita, vel undecunque quæsitæ, si ejus sint qualitatis, ut pleno jure possideri & ad heredes transmitti possint. vid. Statut. Lubec. l. 1. t. 10. art. 6.

XLVII.

Quæ dicta etiam extendi possunt ad bona acquisita (vulgo wohl gewonnen oder erungen Gut) labore, industriâ, vel alio modo legitimo, quæ in familiam semel translata, in ea æque ac hereditaria servari debent, præsertim si diu à venditore fuerint possessa, & ita quodammodo radices agendo in familia, ejusdem quasi

quasi propria facta sint. Boër. decis. Burdegall. 76. n. 10. Pet. Gregor. Tholos. in Syntagm. jur. univ. l. 26. cap. 2. num. 7. Andr. Gail. 2. O. 10. num. 2. Richter. decis. 76. n. 13. Reink. qu. 3. n. 40. & seqq.

XLVIII.

Secundò retractui obnoxia sunt res soli, aut immobiles. *const. Frid. pr. & ibi Bened. n. 62. C. A. d. t. de contrah. empt. d. 29. n. 2.* Mobilium enim rerum, ut vilis & abjecta est possessio. l. 47. ff. de Acqu. poss. ita nulla earum ratio in retractu habetur, cum natura illarum fluxa sit ac mutabilis. Tholos. d. l. 26. cap. 2. num. 1.

XLIX.

Non tantum feudales. 2. F. 3. §. 2. 2. F. 9. §. 1. v. porro (in quibus, præcipuè antiquis, revocandis potior agnatorum, quam Domini habetur ratio. Aliud observatur in feudo novo, ad quod agnatus nullum jus habet, §. un. de success. frat. 2. F. 11. Clarus in §. feudum. q. 41. & seqq. Cum facta sine consensu Domini feudi novi alienatione, statim ad eum revertatur. vid. Myns. cent. 4. Obs. 85. & multos alios Feudistas à Reink. alleg. qu. 3. n. 68. conf. Gothofr. Anton. Disp. Feud. 10. d. 4. §. 6.) & Emphyteuticæ. Matth. de Afflict. d. tr. in rubr. n. 10. & ad pr. n. 7. Tiraq. gl. 3. n. 2. & gl. 13. n. 8. Verum etiam alia allodiales, ubique tam seculares, quam Ecclesiasticæ. Tiraqu. d. gl. 13. n. 5. 6. 9.

L.

Locus etiam est retractui in censibus & annuis redditibus ad longum tempus constitutis, sive infrumentis, sive in pecuniis, vulgo Zinsen/ Jährliche Gefälle. Matth. de Afflict. de jur. protim. §. tota hac lex n. 10. Chassanæ. in consuet. Burgund. tit. de retr. §. 8. verb. Rentes & Censes. Vincent. Carocc. in tract. de excuss. bon. qu. 44. part. 2. n. 3. Quamvis enim annui redditus ex propria suaq; ipsorum natura, nec res mobiles, nec immobiles sint, sed tertiam quandam speciem constituent. Panorm. in c. nulli. n. 10. de reb. Eccles. non alien. Gutierrez. in pract. quest. lib. 3. qu. 83. n. 7. & n. 14. & lib. 2. q. 146. n. 3. tamen regulariter jure civili & Canon. rebus immobilibus accensentur. c. ex vi. ibi: cum annui redditus. X. de verb. signif. l. 14. jubemus nulli. pr. C. de SS. Eccles. l. hac edictali. 6. §. 1. his illud. C. de sec. nupt. Joh. Oldendorp. 2. consil. Marburg. §. n. 70. Franc. Pfeil. cent. 2. consil. 107. n. 14. Joch. à Beust. p. 2. de matrim. c. 68. in pr.

C

in pr.

31

gnor.
Boër.
ffore
toris
dita.
lib. 2.

m de
s sub.
quam
eink.

ativa,

fami.
(qua
libus
cum
d hoc
suffi.
lvant
et ali
ui no
habita
bona
n, vel
unque
here.

vulgo
o mo.
ac hæ
nt pos.
isdem
quali

in pr. Et Gail. 2. Obs. 10. n. 1. ita ex communi Dd, opinione hanc
conclusionem confirmat. conf. Jacob. Venut. in tract. de ann. pre-
stat. p. 2. qu. 39. vers. & hoc primo. Roderic. de ann. rediv. l. 1. qu. 3.
n. 10. Nyns. 1. Obs. 69. n. 12.

L I.

Hæc tamen omnia procedunt in redivibus futuris quorum
dies nondum cessit. Besold. in voce Zinsen. Berlich. 1. conclus. 20.
n. 4. quia redivus cessi. seu pensiones cessæ (vulgò vertagte Zinse)
fructibus à solo separatis comparantur & rebus mobilibus an-
numerantur. l. 44. d. R. V. Gail. 2. Obs. 10. n. 3. Köpp. decis. 24.
n. ult. Castillo in tract. de usufr. c. 41. n. 7.

L II.

An vero etiam fructus stantes & pendentes, veluti segetes
terræ, uvæ vitibus, poma arboribus cohærentia & à solo non-
dum separati, huc pertinent? Affirm. quidem per l. 44. ff. de Rei
Vind. Bart. in l. 2. §. 4. ff. de pignor. Balthas. Bened. in tract. de jur.
protim. ad pr. const. n. 127. Sed verior mihi videtur negativa opi-
nio Tiraqu. in sape alleg. tract. §. 1. gl. 7. n. 53. & seqq. cum ratio
finalis juris retractus sit, ut bona conserventur in familia: fru-
ctus autem pendentes post perceptionem consumantur. Hinc
Tiraqu. hic §. 1. gl. 7. num. 42. 43. & 44. ait: fructus separatim
sine fundo venditos, & statim à fundo separandos, perinde cen-
sendos esse, ac si jam à fundo separati essent. Bart. in l. divorcio
§. interdum n. 6. & ibi Jason. n. 23. solut. matr. vid. Schardius in Lexic.
jur. in verb. fructus pendentes.

L III.

Etiam jura omnia, instar rerum ^{im} mobilium diu durantiæ &
permanentiæ, retractui subjacent puta (1.) ususfructus; cum &
venditio ususfructus sit alienationis species quædam, cum qua
fundi possessio naturalis ad usufructuarium transit. l. ult. C. de
reb. alien. non alien. l. 3. §. nec usufr. §. de reb. eor. qui sub tut. l. 12. pr.
ff. ole. Acqu. vel amitt. poss. Et ususfructus in fundo constitutus sit
instar pars fundi. l. 76. §. 2. ff. de leg. 2. sive similis parti ipsiusmet
fundi. l. 58. in pr. ff. de V. Obl. Matth. de Afflict. tract. de jur. pro-
tim. §. tota hæc lex. n. 9. Chassan. ad consuet. Burgund. Rubr. 10. §. 1.
in verb. son. heritage. num. 14. Dissent. Tiraquell. de retrait. lignag.
§. 1. gl. 7. n. 61. per l. 15. §. 1. vers. eum vero ff. qui satisd. cog. Reink.
hanc quæst. in medio relinquit per ea, quæ contra affert Joan Del
Castil-

Castillo in tractat. de usufr. c. 74. n. 18. & seqq. vid. Didac. Covar-
ruv. var. resol. lib. 3. c. 11. n. 4. & Paul. Christin. decis. Cur. Belg.
vol. 3. decis. 55. n. 10. & seqq. Balth. Bened. in d. tractat. ad princ.
const. à num. 115. ad 118. (2.) Servitus. Anton. de Padill. ad l.
aquam. 4. n. 87. C. de servit. & aqu. fac. l. 2. C. de Servit. & aqua. l. 3.
§. 5. in fin. de reb. eor. qui sub tut. Cæpoll. de serv. urb. pred. c. 19.
n. 4. & seqq. Wesenbec. in π. de usurpat. & usuc. n. 10. in fin. Gail.
2. Obs. 11. n. 11. (3.) Hereditas: tum quia hereditas est jus in-
corporale. §. 2. inst. de reb. corpor. quod inter immobilia compu-
tatur: tum quia non solum comprehendit mobilia sed etiam im-
mobilia, quæ trahunt ad se mobilia, ut eodem jure in re eadem
censeri debeant, non è diverso. l. 23. ff. de usucap. vid. Tiraqu. §. 1.
gl. 7. n. 81. & seqq. Peg. lib. 1. c. 6. Bened. num. 165. (4.) Nomi-
na & actiones, si ad rem immobilem competant. vid. Gail. 2.
Obs. 10. Hahn. tit. de rer. Divis in fin. ferè. Coler. decis. 287. num.
157. Tiraqu. §. 1. gl. 7. & seqq. Berlich. p. 3. concl. 33. Pinell. p. 1.
de bon. matern. n. 24. & seqq. Gomez. 2. var. resol. 10. n. 2. Hotom.
ill. qu. 18. Alciat. in l. 93. de V. S. (5.) Decimæ: quia de terræ
fructibus & proventibus solvuntur. c. 1. c. 4. 6. 21. 22. 26. X. de de-
cim. & immobilibus adhærere, stabile subjectum habere & in
actu semper permanere dicuntur. Bald. 2. F. 20. verbo annua. (6.)
Vectigalia, pedagia, gabellæ. Matth. de Afflict. d. §. rota. num. 8.
Chassan. in consuet. Burg. tit. de retr. verb. son. heritage. num. 11. 12.
cum ratione soli publici à transeuntibus solvantur & conse-
quenter immobilibus rebus annumerentur. Bart. in c. un. quæ sint
Regal. Gail. 2. Obs. 64. n. 5. & seq. Bald. c. 2. de feud. cognit.

LIV.

Annumeranda etiam sunt immobilibus granaria. l. 18. pr.
ff. de act. empt. arundineta & salicta antequam cæsa sint l. 12. §. 11.
de instr. leg. Vultei. jurispr. Rom. c. 62. n. 10. Sylvæ Cædunæ & lapi-
dicinæ, quamvis quicquid ibi cæsum & à solo separatum est, pro
re mobili habeatur.

LV.

Expertes retractus sunt Primò Res mobiles; in quibus non est *Quæ res*
affectionis consideratio, dum natura earum fluxa sit & muta. *sint Retra*
bilis, arg. l. 22. vers. nec vero domum. C. de administr. tutor. mo. *ctus exper*
bilium enim rerum vilis & abjecta est possessio. l. 47. pr. ff. de res.

C 2

acqu.

31

hanc
n. præ-
qu. 3.
orum
us. 20.
Zinse)
us an-
is. 24.
egetes
non-
de Riv
de jur.
a opi-
ratio
: fru-
Hinc
aratim
e cen-
ivortio
Lexic.
ntia &
um &
n qua
. C. de
12. pr.
atus sit
usmet
r. pro-
o. §. 1.
lignag.
eink.
n Del
Castil-

acqu. vel amitt. possess. Chassan. d. tr. §. 1. in verb. son. herit. num. 8.
Matruer in pract. forens. tit. de retract. 28. n. 2. Peg. l. 1. cap. 2. pr.
Hering. in tract. de molendin. qu. 8. n. 60. In re mobili pretiosis-
sima, ut unione Cleopatrae, &c. Retractum etiam interdum locum
obtinere, statuit. Tiraqu. §. 1. gl. 7. n. 100. & seqq.

LVI.

Secundò res mobilium loco de jure habitæ, ut sunt mo-
lendina in aquis natantia, quæ instar navium super flumina
meant atque remeant. arg. l. 1. §. 7. ff. de vi & vi arm. l. 20. §. 4. ff.
Quod vi aut clam. Vultei. 1. Feud. §. num. 5. Arum. disp. 4. §. 8.
C. I. A. de rer. divis. §. 56. Borcholt. de Feud. c. 6. Wehner. in verb.
Sahrenß. §. molendina. Conf. Hering. in tract. de molendin. q. 8.
n. 16. & seqq. Steph. Gratian. 3. disceptat. forens. 564. n. 3. Franc.
Ripa. in l. quominus. n. 126. de flumin. Rosenth. concl. 4. num. 2.
Knichen. de vestit. paction. part. 1. c. 4. n. 51. & seqq. Dn. Carpzov.
part. 3. c. 24. def. 8. Dissent. Struv. in synt. jur. feud. Exer. 6. §. 11.
Fixa enim immobilia esse & retractum non effugere, manifestis-
simum est. vid. Speckhan. cent. 1. qu. 56. n. 13. Bened. d. pr. n. 66.
quia eo animo ædificantur, ut perpetuo ibi sint, ubi reponuntur,
l. 17. §. 7. de act. empt. Berlich. p. 3. concl. 30. n. 13. Bertazol. 1. con-
sult. decis. consul. 229. n. 1.

LVII.

Quid statuendum de molendinis pneumaticis, an rebus mo-
bilibus, an immobilibus accensenda? Relictis sententiis alio-
rum, ut Borcholt. de feud. c. 6. n. 11. Dn. Carpzov. d. p. 3. const. 24.
n. 5. Rulad. de commissar. & comm. part. 4. lib. 2. c. 17. Wehneri. all.
loc. qui ea mobilibus rebus adscribunt: & Bald. conf. 107. n. 1.
vol. 3. Franc. Marc. decis. 530. part. 1. Ernest. Cothman. consil. 11.
n. 47. & consil. 12. n. 22. Hering. in d. tr. q. 8. num. 40. & seqq. qui
immobilibus ea annumerant, placet distinctio. Dn. Reinking. in
alleg. tract. Molendina sc. quæ vento agitantur, tunc adscribi im-
mobilibus, si ita facta sint, ut loco non moveantur. Si vero ita
& ea intentione comparata sint, ut hinc inde transferantur, mo-
bilibus accenseri. vid. Hahn. Observ. ad tit. de rer. divis. in fin. qui
cum Hering. in d. tr. ista quoque inter res immobiles collocat.

LVIII.

L VIII.

Porro mobiliū loco habentur sequentia: Domus exemptilis. *gl. in §. 29. inst. d. R. D. l. 60. ff. de A. R. D. Insulæ ambulantes, quæ huc & illuc, ut aura & venti impellunt, tanquam naves meant ac remeant ambulant. (Confer. Dion. Halicarn. lib. 1. & Plin. 2. nat. hist. c. 97.) fac. l. pen. §. 2. ff. de acqu. rer. dom. vid. Tiraq. §. 1. gl. 7. n. 121. Quod Berlichio. p. 3. concl. 20. n. 15. displicet. Pisces qui sunt in piscina, stagno, custodia causa. l. 15. ff. de act. empr. l. 3. §. 14. ff. de acqu. vel am. poss. Secus si propagatio- nis causa servantur, tunc enim immobilibus annumerantur. Hartm. Pistor. l. q. 24. n. 36. C. I. A. tit. de rer. div. §. 55. Torcu- lar. l. 17. pr. de act. empr. Machinæ bellicæ, ut catapultæ, balistæ, bombardæ & cætera id genus bellica munimenta. Hic vero pro- be notanda distinctio Tiraquelli. §. 1. gl. 7. n. 99. si cum castro & fortalitiomachinæ bellicæ vendantur, retractui locus est, quia cedunt castro, ut aliàs mobilia immobilibus: si separatim, mobi- lia fiunt, & venditione castri esse desinunt. arg. l. 93. §. 4. ff. de leg. 3. l. 76. ff. de contrab. empr. l. 17. pr. l. 18. §. 4. §. 1. ff. de act. empr. conf. Nebelkræ. decis. 10. p. 131. in fin. & p. 139.*

L IX.

An habet locum retractus in pecunia destinata ad emptio- nem prædiorum? Tiraqu. Negativam amplectitur. §. 1. gl. 7. n. 112. licet enim ea pecunia vicem rei immobilis obtineat. Coler. decis. 286. n. 39. 41. & seqq. Gothofr. in not. ad l. 22. vers. nec- vero C. de adm. tut. tamen usus ejus fragilis, iisque rebus compa- ratur, quæ servando servari nequeunt, nec in eis cadit proba- bilis affectio. vid. Menoch. 4. præf. 138. n. 3.

L X.

An in pecunia posita in banchis (ut vulgo appellant) cam- pforum, seu nummulariorum mensis, retractus locum habet? Negat. Tiraquel. §. 1. gl. 7. n. 114. contra Bald. in c. cum causa ad- fn. X. de re judic.

L XI.

Quid juris, si res mobiles immobilibus cohæreant, ac simul accessorie & in consequentiam vendantur. Cum Tiraqu. §. 25. gl. 1. dico, res ipsas mobiles tunc venire in retractum. arg. l. 23. ff. de usucap. Chassan, in consuet. Burg. tit. de retr. §. 1. verb. son. he- ritage.

31



LXII.

Ex hisce, quæ supra dixi, retractum in rebus mobilibus locum non obtinere, colligitur, jus *πρωτισίσεως* denegari Nobilibus, aliisque Dominis, in cibariis subditorum, puta gallinis, anseribus, butyris, caseis. Quamvis sint, qui subditos ad dicta cibaria, aliasque merces ediles sibi prius offerendas adstringant, quam ad forum deferant, teste Berlich. *p. 2. concl. 39. n. 42. & seqq.* Rauchbar. *qu. jur. civ. & can. p. 2. qu. 22. n. 1. & seqq.*

LXIII.

Et huc usque de rebus, in quibus locum jus *πρωτισίσεως* habet, vel non, subnectendum nunc, in quibus negotiis & contractibus jus hoc exerceri possit.

LXIV.

Et habet locum jus Retractus potissimum inemptionis & venditionis contractu. Hartm. Pistor. *l. 2. p. 1. q. 12. num. 15. 16.* proprie sic dicto: late enim & generaliter appellatione venditionis alias etiam alienationes rerum venire, patet ex iis, quæ Ampliſſ. Dn. D. Reuban tradit, in Hodeg. *sb. 2. clim. 3. parall. 3. θ. 3. fac. l. 29. §. 1. in fin. ff. de stat. lib. l. 8. §. 11. ff. quib. mod. pign. vel hyp. solv. Menoch. de arbitr. jud. quest. cas. 84.*

LXV.

Intelligenda verò hæc sunt (1.) de emptione venditione valida, & secundum leges facta: secus, si quacunque ratione, sive ex defectu solennitatis, sive autoritatis requisitæ, sive propter incapacitatem personæ, sive propter dolum dantem causam contractui, aut aliud quodcunque vitium, sit venditio nulla. Carol. Molin. in consuet. Paris. *t. 1. §. 13. gl. 5. n. 50. fac. l. 4. §. 6. ff. de re judic. l. 8. §. 2. de Bon. poss. contra. tabb. Card. Tusch. pract. conclus. 578. n. 22. Gædd. consil. Marpurg. 19. n. 14. vol. 4.*

LXVI.

(2.) De emptione venditione perfecta, traditione sc. subsecuta, per quam demum dominium transfertur. *l. 20. C. de pact. Berlich. concl. 40. n. 34. Decian. resp. 76. n. 5. vol. 2.* (3.) Non simulata. Cum per simulatam noluerit venditor alienare rem, nec dominium à se abdicare. *l. 55. ff. de contrah. empt. deficit enim hic consensus & sic substantia contractus. l. 3. C. de contr. empt. nam contractus simulatus dicitur corpus sine anima. Dd. ad l. 6. si cert. pet. Bald. in l. 1. C. plus val. quod ag. Paul. Castr. consil. 74. lib.*

In quibus
contract.
jus πρω-
τισίσεως ex-
erceri pos-

lib. 2. Matth. de Afflict. dec. Neap. 339. (4) De non necessaria.
Nam si quis in extrema necessitate est constitutus, nec potest ex-
pectare tempus à jure definitum, facta de nunciacione alteri, cum
effectu vendere potest, proximiorē moram neētente. Marant. de
multipl. alien. prohib. n. 143. Bened. ad pr. d. const. n. 88. & 199. cum
necessitas, quæ non habet legem, sit excepta in dispositione legali.
l. 1. C. de oper. libert. c. 3. X. de furt. vid. Arum. Disp. feud. 7. 8. 12.

LXVII.

Porro jus retractus competit in venditionibus conditiona-
libus, si videlicet ad traditionem rei fuerit processum, aut emptor
statim pretium numeraverit, quia ex hujusmodi venditione con-
ditionali, secuta traditione, ante conditionis eventū, transfertur
dominium. fac. l. 7. §. ult. junct. l. 8. ff. de iur. dot. Ex quo dicit Bald.
consil. 478. incipit. *Quidam Francisc. col. 2. vers. & modò sic est l. 1.*
Nullam conditionem impedire principium essentiaē contractus,
si ventum sit ad traditionem. Tiraqu. §. 1. gl. 2. num. 30. & de Retr.
conv. ad fin. n. 69. Bened. d. pr. n. 129. aliàs ante impletam condi-
tionem non censetur perfectus contractus. l. 7. pr. de contrah.
empr. l. 43. §. 9. ff. de adit. edict. nec ante eventum conditionis
actio retractus nomine datur. l. 13. §. 5. de pign. l. 10. de V. O. Ti-
raqu. §. 1. gl. 2. n. 22. & seqq. Pegius. l. 1. c. 3.

LXVIII.

Competit etiam in modalibus venditionibus, nam contra-
ctus factus sub modo, est purus respectu conditionalis. l. 17. §. 2.
ff. de manum. restam. Wesenb. in π. de condit. & de monstr. num. 10.
ideoque licet ex condicionali non detur actio, nisi impleta pri-
mum conditione, uti dictum, in θ. preced. ex modali tamen con-
tinuo nascitur & datur, præstita cautione de modo implendo. l. 21.
§. 3. de ann. legat. l. 19. de leg. 3. l. 44. §. fin. de condit. & demonstr.
Adde, quod modus non suspendat, ut conditio, nec facit, quin
actus sit purus. Tiraqu. d. gl. 2. n. 34. Bened. d. pr. n. 131.

LXIX.

Similiter locum habet retractus in venditionibus, ob pa-
ctum legis commissoriae, additionis in diem vel retrovendendi
resolutivis. Quia hæc pacta non faciunt, quin venditio sit pura
& perfecta, licet resolvi possint. vid. l. 2. ff. de in diem add. l. 1. ff.
de leg. commiss. Matth. de Afflict. d. tr. §. licet. 3. n. 21. Tiraqu. de
Retr.

Retr. convent. §. 1. gl. 7. n. 2. & §. 2. gl. un. n. 1. Bened. d. pr. à n. 129. usque ad n. 1571

LXX.

Si contrahentes à venditione perfecta & re non amplius integra discesserint, locus etiam est retractui. *text. 2. F. 44. l. 2. C. de jur. Emphyt. Matth. de Afflict. d. tr. §. scriptum. 6. num. 12. Tiraqu. de retrait. lignag. §. 1. gl. 2. 40. & de retr. convent. §. 1. gl. 7. n. 18. Bened. d. pr. n. 163. Secus, si recedant ante traditionem & re adhuc integra. l. 58. ff. de pact. l. 1. C. quand. lic. ab empt. disted. Bocer. cl. 2. Disp 20. 8. 50.*

LXXI.

Quæritur hic, an locus sit retractui si inter emptorem & venditorem convenerit, ut si consanguineus retrahere animum induxerit, contractus sit nullus, Respondeo locum non esse retractui, si absque fraudis consilio pactum tale fuerit appositum, quod sc. venditor malit, rem venditam ad se redire, quam apud alium quemvis, si non maneat apud emptorem forte amicissimum. Potest enim venditio sub conditione fieri, ita ut non existente illa conditione, contractus nullus sit. §. 4. *Inst. de empt. & vend. l. 8. pr. vers. quod si ff. de peric. & comm. rei vend. Matth. de Afflict. in d. tr. §. 6. n. 10. & 13. vers. sed si res. Tiraqu. §. 1. gl. 2. n. 59. & seqq. Bened. d. rubr. n. 62. & d. pr. n. 216. & §. scriptum est num. 14.*

LXXII.

Graviter & de hac dubitatur quæstione, an pluribus rebus conjunctim, (in einem samenthafften Kauff) unico pretio venditis, aliquis pro parte, vel unam, vel quasdam ex pluribus rebus ita venditis retrahere possit. Negantium partes tueor. v. Chassan. *in consu. Burgund. tit. de retr. §. ad verb. son. heritage. n. 16. Nicol. Boër. decis. Aurdegall. 25. n. 1. Tiraqu. §. 23. gl. 1. num. 1. & seqq. Petr. Gregor. d. lib. 26. c. 2. n. 15. Mart. Peg. l. 2. c. 39. Paul. Christin. decis. Cur. Belg. Vol. 3. decis. 55. n. 4. Berlich. p. 2. concl. 39. n. 74. fac. l. 44. l. 78. §. 2. ff. de contrah. empt. Contrarium statuunt. Bald. de Perusin. de jure Protim. n. 20. & seqq. Matth. de Afflict. d. tr. §. scriptum. n. 5. Carol. Molin. in consuet. Paris. tit. 1. 9. 13. gl. 1. n. 55. Bocer. in disp. de jur. Retr. 8. 46. 47. vide ap Reinking. declarationes nonnullas, qu. 3. à n. 149. usque ad 162.*

LXXIII.

LXXIII.

Ultimò Retractus non obtinet in rebus venditis ad usum publicum vel pium, utpote pro ædificandis vel augendis scholis pro reficiendis vallibus & fossis publicis; quia utilitas publica præferatur privatæ, l. 3. C. de primipilo, lib. 12. l. 65. §. 5. ff. pro socio.

LXXIV.

Satis dictum de emptione & venditione, videamus de contractibus æquipollentibus venditioni, ita ut in iis locum habeat retractus. (1.) est Datio in solutum, quæ vicem venditionis obtinet & emptioni æquiparatur. l. 4. C. de Evict. Hering. de fidejussor. c. 20. §. 21. n. 4. Surd. consil. 162. n. 4. v. 2. Imo est venditio. l. 41. §. 14. ubi Alber. & Jas. de leg. 1. Decian. resp. 2. n. 144. v. 2. Petr. Rebuff. in repetit. l. un. gl. dupli. n. 39. Petr. Gregor. in syntagm. lib. 26. c. 11. n. 3. Stephan. Gratian. discept. Forens. §. 44. n. 15. & seqq. Tom. 3. Hæc vera sunt (1.) Cum datur fundus in solutum pecuniæ debitæ. Nam si in alterius speciei debitæ solutum daretur, nihil esset, quod ad venditionem accederet. (2.) Vera sunt in datione in solutum voluntaria, quæ fit ab ipso debitore creditori: non etiam in necessaria, quæ fit à iudice pro executione rei judicatæ. l. 9. ff. de fideicom. libert. conf. Tiraqu. §. 1. gl. 13. n. 7. & seqq.

LXXV.

(2.) Emptio, quæ fit sub auctione seu licitatione publica, vulgò, wann ein Gut auff dem Abstrich verkaufft wird / per tradita Jac. Curt. conject. tom. 2. lib. 3. c. ult. (3.) Permutatio illa, ubi pro prædio datur aliud prædium æstimatum. Talis enim permutatio est verus contractus venditionis, ut voluit gl. in l. 1. in verbo. taxata. & ibi etiam Nicol. Mat. Bart. Bald. & Salic. C. de rer. permut. Et aliàs regulariter, & in dubio æstimatio facit venditionem. l. un. §. 9. C. de rei uxor. act. l. 10. §. 4. ff. de jur. dot. l. 3. & ibi. Bart. ff. locat. Chass. rubr. 10. §. 1. verb. vendit. n. 3. & 9. n. 7.

LXXVI.

Retractus regulariter censetur prohibitus (1.) in per mutatione In quibus Contract. simplici, puta si res immobiles pro rebus immobilibus dentur, tum locum nõ quod surrogentur in locum bonorum avitorum & nomen avitorum retineant. arg. l. 36. §. 1. l. 58. pr. de don. int. vir. & ux. tum habeat retractus. quod licet res fideicommissio subjectæ alienari extra familiam non possint. l. fin. §. 2. C. commun. de leg. bene tamen possint cum alia re permutari, quoniam res permutata succedit loco rei alienari

D

nari

31



nari prohibita Tuschus. tom. 3. pract. concl. 283. n. 84. Matth. de Afflict. d. 17. de jur. prot. §. licet enim supra, &c. n. 24. vers. unde con-clude. confer. Klock. in relat. Camer. 7. n. 208. & seqq. ubi plures in hanc sententiam laudat. Marc. Anton. Peregr. conf. 12. n. 2. lib. 2. Secus est, si fundus pro re mobilidetur, aut partim species, partim pecunia, præsertim si pecunia præponderet, tunc enim vera venditio censetur. l. 79. ff. de contrah. empt. vide Schneidevv. §. item 2. n. 6. Inst. de empt. vend. præsumitur namque emptio venditio facta, ubi pretii mentio facta est. Gothofr. ad l. fin. C. de præd. Decur. lib. 0. vid. Benedell. §. causa. n. 17. Tiraqu. § 30 gl. 1. n. 9. Gomez. 2. var. resol. 2. num. 10.

LXXVII.

Quid autem juris, si pretium & species per omnia sint paria & ejusdem æstimationis? respondetur inspiciendum esse, quid contrahentes principaliter facere intenderint. Quod si verbo permutationis utantur, est permutatio: si autem verbo emptionis, emptio, quia actus semper judicatur à principali intentione agentium. Matth. de Afflict. d. tract. §. licet enim num. 26. Sin autem de intentione contrahentium non constet quid illi principaliter egerint, tunc in dubio contractus censendus, judicandus & denominandus secundum naturam ejus, quod in eo prævalet. Bart. in l. 1. §. 1. ff. locat. Alex. consil. 119. viso processu. colum. 3. vers. quod autem pervenerit in fin. lib. 5. fac. l. 10. ff. de stat. hom. vid. Rol. à Vall. consil. 13. n. 14. & consil. 50. n. 46. volum. 3. & consil. 41. n. 14. volum. 4.

LXXVIII.

Secundò Retractus locum non habet in donatione Rosenthal. de feud. c. 9. concl. 90. num. 7. Gregor. in Syntagm. jur. lib. 26. c. 7. n. 1. & seqq. Tiraqu. §. 1. gl. 14. n. 90. Peg. lib. 3. c. 2.

LXXIX.

Tertiò neque in transactione, ut si pro fundo, quem quis petierat, prædium certis finibus liberum transactionis causa traditum fuerit. text. in l. 33. C. de transact. Bocer. d. Disp. 0. 44. lit. h. Berlich. p. 2. concl. 39. n. 65. Tiraqu. d. gl. 14. n. 60.

LXXX.

Neque Quartò in Divisione, maximè cum divisio non sit alienatio,

natio, quod vel inde liquet, quod licet feuda non possint alienari,
interim tamen dividi. 2. F. 55. §. 2. *March. de Afflict. d. §. licet enim su-*
pra. v. 2. sed dubitatur. n. 16. Chass. Rubr. 16. §. 7. num. 19. Petr.
Greg. Tholos. synt. jur. lib. 26. c. de remiss. in divis. 10. n. 1.

LXXXI.

Neque Quintò in locatione conductione, quamvis ad lon-
gum tempus constituta sit. *Berlich. p. 2. concl. 39. num. 68. & seqq.*
Dieg. Gomez. in addit. ad comment. Anton. Gomez super l. Tauri 79.
cum §. seqq. num. 19. fol. 542. Locatio siquidem non est alienatio,
cum locator Dominus prædii maneat. l. 9. ff. de Rei vind. Finito-
que conductionis tempore prædium omnino ad locatorem re-
deat. Tiraqu. de retrait. lignag §. 1. gl. 14. n. 85. Limitationes ad-
jicit Reinking. in d. tr. n. 118. & seqq. conf. Stephan. Grat. 3. con-
trov. forens. 460. n. 1. & 39.

LXXXII.

Sextò Retractus non obtinet in contractu Emphyteutico,
quia fundi in emphyteusin dati dominium penes concedentem
manet. *l. 1. in fin. ff. si ager. vect. Conf. Dn. D. Tab. in tract. de alien.*
que in mut. vert. c. 8 n. 10. Quasdam tamen consuetudines Gal-
lie etiam in contractu emphyteutico retractum admittere testa-
tur. Tiraqu. §. 33. gl. un. n. 2.

LXXXIII.

Minus Retractus septimò locum habet in cessione, ideo facta,
ut cessionarius debitum cedentis in prædiis consistens solvat,
cum talis cessio sit instar permutationis. Quod si autem debi-
tum cedentis in pecunia consistat numerata, retractui locus
est, cum hæc Cessio emptionis vim habeat, & nihil referat, an
vendenti solvatur certum pretium, an creditoribus illius, eo
mandante, tantum pecuniæ. *Tiraqu. §. 1. gl. 14. n. 115.*

LXXXIV.

Omnium verò minimè retractus octavò obtinet in concessio-
ne prædii in feudam, cum & hoc casu dominium penes conce-
dentem maneat. *2. F. 8. §. ult. 2. F. 23. in fin. Tiraqu. §. 1. gl. 14. n.*
90. in fin. Bocet. d. Disp. 8. 44. lit. g. Arn. Ferro. in consuet. Burdig.
c. 25. col. 2. vers. si a. res.

LXXXV.

Inpignoris datione nonò idem erit dicendum ex identitatis
ratione, cum hic quoque dominium rei non alienetur. *l. 29 pr.*

D

qui & à quibus manum. l. 1. §. servus. 3 ff de SC. Sylau. Matth. de Affl. decis Neapol. 339. n. 3. Anton. Gomez, in comment. ad l. Tauri. 70. cum §. seqq. n. 3. Plura vide ap. Petr. Gregor. Tholos. in syntagm. jur. univ. l. 26. c. 8. 9. 10. Berlich. p. 2. concl. 39. n. 69. & 72. Benedell. in d. tr. ad. §. causa vero doctis. passim. per tot.

LXXXVI.

Prædicti vero Contractus & alienationes tum demum à re tractu sunt immunes, si fraudis sint expertes, nec in effectu venditionem contineant. Fraus enim semper excepta intelligitur. l. 60. §. 4. mandati, idque, quod in fraudem fit, in præjudicium alterius, cui fraus fit, non valet. l. 4. §. 24. ff. de doli exc. Leges enim dolosis & callidis omne commodum & lucrum prorsus adimunt per jura à Tiraq. d. §. 1. gl. 9. n. 68. & gl. 10. n. 56. adducta. Bened. §. verum, n. 47. vid. Joh. Gædd. d. consil. 219. n. 26. vol. 4.

LXXXVII.

Cum vero fraus non præsumatur, probanda erit testibus, & quidem duobus. l. 12. ff. de testib. Instrumentis. l. 50. §. 3. de leg. 1. aliisque legitimis probationum remediis, puta conjecturis verisimilibus seu præsumptionibus. c. illo. 4. X. de pignor. Quibus deficientibus & præsumptione aliquâ apparente, jus Retractus habens judiciali autoritate juramentum venditori vel emptori deferre potest. Quamvis autem juramento præstito, probationi in contrarium locus non facile sit, attamen in retractus processu eadem admittitur. Constit. Sancimus §. ideoque ibi Bened. Veritas enim attenditur, non præsumptio. Menoch. 2. præf. 48. & 3. præf. 132. n. 22. Tiraqu. §. 4. gl. 1. & tunc afficiendi sunt contrahentes. 1. pœna perjurii. 2. emptor amissione rei, venditor vero pretii: pretium autem & res applicantur fisco, qui postea tenetur vendere illis, quibus competit jus congrui. Matth. de Afflict. d. §. 4. num. 2. & 24.

LXXXVIII.

Forma.

Explanatis hæctenus contractibus ac negotiis, in quibus potissimum jus Retractus exerceri possit, vel non, proximum est, ut requisita hujus juris essentialia adjiciamus, cum talia pro forma retractui sint, qua non servata, actum corruere aut vitiosum esse perspicuum est, text. in c. cum dilecta. §. fin. in fin. de rescr. & in c. venerabili de off. jud. de leg. Dd. in authent. que supplicatio. C. de precib.



precib. imp. Offer. Tiraqu. de retr. gl. 4. §. 3. n. 2. cum seqq. Gail. 2.
Obs. 19. num. 15.

LXXXIX.

Ex Requisitis autem solennibus primum hoc est, ut rem ^{Primum} venditam jure proximitatis vel agnationis retrahere volens, ante omnia pretium ab emptore promissum & solutum, offerat, ^{requisitū.}
text. in cap. constitutus. X. de restitut. in integr. fac. text. in Const. Frid. de jur. proxim. in pr. ibi: solvendo justum pretium l. 13. §. 8. ff. de act. empt. l. 8. in fin. C. eod. Petr. Gregor. in Syntagm. lib. 26. c. 23. n. 1. Paul. Christin. decis. Cur. Belg. vol. 3. decis. 58. n. 6. in fin. Gail. 2. Obs. 19. n. 7. Et pretium nihilominus solvendum est à retrahente, etiamsi venditor emptori pretium conventum remisisset. Carol. Molin. in consuet. Paris. tit. 1. §. 13. gl. 5. n. 55. & gl. 8. n. 1. 3. & 4. Peg. lib. 1. c. 2.

XC.

Pretium hoc integrum debet offerri, quia sicut actio exempto non datur, nisi soluto pretio integro, ita nec ex retractu. text. in l. 13. §. 8. offerri & ibi gl. & Bart. ff. de act. empt. l. quandiu. 6. C. distract. pign. Hotom. illustr. qu. 22. (1.) nisi obligatio jure divisa sit, veluti inter cohæredes. l. 1. C. si cert. pet. l. 2. §. 1. de V. Obl. similiter si plures æque conjuncti rem dividuam pro rata suæ portionis retrahant, tunc enim quilibet pro rata suæ portionis pretiū offerre poterit. (2.) nisi inter emptorē & venditorē conventū sit, ut certis & distinctis temporibus, auff Tagzeiten/ oder Zeit und Ziet/ pretium solvatur. Tunc enim retracturus rem sub iisdem conditionibus & solutionibus per diversa tempora faciendis retrahere potest. arg. l. lecta. & ibi Dd. ff. reb. cred. l. 41. §. 1. vers. Modestin. ff. de usur. Hotom. illustr. qu. 22. circa fin. (3.) nisi venditor consentiat & ultro particularem solutionem recipiat. l. 9. §. 1. ff. de solut. Martin. Uran. tom. 1. cons. 14. n. 44. Köpp. part. 1. decis. 32. n. 11. (4.) nisi plures res diversis pretiis, in singulas res divisas, emptæ sint, hoc enim casu tot erunt venditiones, quot res, rerumque pretia. Itaque eo casu sufficit offerre pretium illius rei, quam quis retrahit. vid. Tiraqu. hic §. 23. gl. 1. num. 2. Paul. Christin. decis. Cur. Belg. vol. 9. decis. 55. num. 4. Quibus adde (5.) hoc: modo pretium integrum sit liquidum. Si enim retrahens pretium, quanti res extraneo vendita sit, ignorat, sufficit offerre id, de quo ei constat, addita protestatione vel ^{etiam}

etiam, si exigatur, cautione, quod reliquum, quam primum de pretio integro certioratus fuerit,olvere paratus sit, per text. in l. statu liber. §. ff. de stat. lib. l. 34. servus si heredi. §. 1. Imperator in fin. ff. eod. tit. vid. Petr. Rebuff. in tract. de liter. oblig. art. 1. gl. 9. n. 13. Petr. Gregor. in syntagm. lib. 26. c. 25. n. 1. Gail. 2. Obs. 19. n. 7. Pegl. 2. cap. 22.

XCI.

Nec sufficit offerre pretium secundum communem regionis estimationem, rei qualitatem & redituum quantitatem, sed tantum pretium, quantum ab emptore datum fuit, licet plus justo majus sit, persolvendum est. text. in l. ult. pr. vers. & si quidem C. de jure emphyt. l. 13. §. 8. offerri ff. de act. empt. & vend. l. 2. C. de pact. int. empt. & vend. Marc. Mant. ad l. dudum. C. de Contrah. empt. n. 26. Tiraqu. de retr. lign. §. 1. gl. 17. 18. pr. & §. 9. gl. ult. num. 9. Joh. Kopp. decis. 52. incip. cum in hereditat. divis. Vult. 1. Feud. 11. n. 104.

XCII.

Prædicta tamen procedunt, si nulla fraus intervenerit. l. in fundo. 38. ff. de rei vind. Marc. Mantua ad l. dudum. C. de contrah. empt. Secus verò si dolose & fraudulenter venditor alium animosiorum licitatorum submiserit, ad hoc, ut retrahentem à retractu deterreret. Beust. ad l. admonendi. 31. ff. de jurejur. n. 872. sub fin. Bald. in l. rem majoris pretii. 2. C. de rescind. vend. n. ult. in fin. vers. dummodo sine fraude. Köpp. decis. 52. n. 18. post princ. & n. 21. & seqq. Ad evitandam autem omnem suspicionem fraudis, emptor majus pretium offerens, juramentum præstare potest, se non dolose majus pretium offerre. Gail. 2. obs. 19. Berlich. concl. 41. n. 10. Matth. de Afflict. §. 4. n. 4. n. 15. & seqq.

XCIII.

Utrum autem retracturus intra statuta moribus tempora compensatione uti possit, si emptor tantundem forte ei debeat ex alia causa, in disquisitionem venit. Veritati propior affirmantium sententia est. Compensatio enim habet vim solutionis. l. 4. ff. qui potior. in pign. l. 76. ubi Gædd. de V. S. Guid. Papæ decis. 171. n. 5. Gail. 2. obs. 17. n. 10. Molin. §. 20 gl. 7. n. 10. 11. & §. 85. gl. 4. n. 19. usque ad 39. Tiraqu. §. 3. gl. 3. à n. 2. usque ad 14. Benedell. §. in primis. n. 71. & 89.

XCIV.

XCIV.

Nec licet retrahenti fidejussores dare, aut pignora, cum his datis nulla facta intelligatur solutio. *l. 4. §. 3. ff. de re jud. Hartm. Pistor. l. 2. p. 1. qu. 12. n. 6. l. 6. §. 1. & ibi Costal. quib. mod. pign. solv. c. 6. X. de sent. & re jud. Tiraqu. §. 3. gl. 3. n. 14. & seqq. Hackelm. Disp. Feud. 9. §. 6. lit. l. Neguz. de pign. in 1. membr. 5. part. princ. num. 4. Secus tamen dicendum, si precium non fuerit liquidum, tunc enim dando fidejussores id ipsum solvendi, cum liquidatum fuerit, retracturus omnino est admittendus, text. in *l. 5. & l. 34. §. 1. Imperator in fin. ff. de stat. lib. Boer. tit. 6. §. 4. pr. & decis. 112. n. 2. in fin. Chastan. §. 1. verb. lepris. in pr. & num. 7. Ferron. tit. 2. §. 14. vers. pro ratione. Fachin. 7. contro. 91.**

XC V.

Quod si plures rem retrahendam jam distraxerunt, pretium primæ venditionis restituendum, arg. *l. 19. §. 9. de capt. & postl. rev. Tiraq. §. 12. gl. 1. n. 6. Benedel. ad rubr. d. const. n. 53. & emptor secundus habebit actionem ex empto adversus priorem emptorem qui ei vendidit, vid. Berlich. p. 2. concl. 41. n. 24. & seqq.*

XC VI.

Utrum autem retracturus eodem nummorum genere, an aliâ etiam monetâ retrahere possit, dubitatur. Posterius affirmo, modo usitata ac proba fuerit, nec nimis parva: nisi inter venditorem & emptorem bona fide absque præjudicio retrahentis convenerit, ut in certa moneta solveretur, ac juxta pactum illud solutio illa facta fuerit, per *constit. Ferdin. Imp. promulgat. An. 1599. §. die jess gemelte. Matth. Coler. in tract. de process. exec. p. 1. c. 10. num. 7. & seqq. Molin. ad Consuet. Paris. tit. 1. §. 13. gl. 8. num. 2. Sichard. ad l. usur. 8. n. 7. C. de solut.*

XC VII.

Quod si intra tempus retractus mutatio monetæ contigerit, solutio à retrahente facienda erit, secundum bonitatem monetæ, tum intrinsecam, tum extrinsecam, quæ fuit tempore contractus ab emptore persoluta. *l. cum quid. 3. ubi Costal. ff. si cert. pet. Treutl. vol. 1. disp. 20. §. 12. ibi Bach. & vol. 2. disp. 29. §. 2. Hotom. ill. quæst. 15. Arum. Disp. Pand. 23. q. 7. Frau z. K. exerc. 9. q. 2. & 3. Berlich. pag. 2. concl. 35. & 36. Guid. Pap. decis. 493. Matth. de Afflict. decis. 90. & 194. Boer. decis. 327. Myns. 4. Obs. 1. Gail. 2. Obs. 73. Tiraqu. gl. 18. n. 26. & seqq.*

XC VIII.

31

Pretio tamen venditionis in aureis existente, licebit eorum æstimationem & pretium in alia materia, aut moneta alterius speciei vel formæ emptori invito refundere. *gl. post. text. in l. 35. pr. verb. æstimatione. C. de donat. Pinell. in rubr. C. de resc. verb. p. 1. c. 3. n. 16. Sichard. d. l. usuras. 8. n. 7. C. de solut. Molin. §. 20. gl. 8. n. 2. Tiraqu. gl. 18. n. 30. 33. Fachin. 2. controv. 49. & 51.*

XCIX.

Oblatum debito modo pretium si emptor accipere recuset, obsignatum in publico deponat. *leg. 9. C. de solut. Tiraquel. §. 7. gl. 3. num. 1. & §. 9. gl. 3. n. 3. & de Retr. Convent. §. 1. gl. 6. n. 1. 2. 3. 4. Sichard. in l. 19. C. de pign. & d. l. 9. C. de solut. Quæ de positio pecuniæ de jure civili fiebat, vel apud ædem sacram. l. 1. §. 2. C. de comm. serv. manum. vel in alio loco publico tuto. l. 19. pr. C. de usur. vel denique apud quem iudex deponere jubebat. l. fin. ff. de leg. commissor. Petr. Gregor. Tholos. d. lib. 26. c. 23. n. 6.*

C.

Qua obsignatione, & deposito legitime judicisque autoritate facta, pecunia periculo emptoris, accipere eam renuentis, perit. *gl. & Dd. in l. 19. C. de usur. l. 39. l. 72. pr. l. 102. de solut. Gædd. de V. O. c. 1. n. 88. Borcholt. de usur. c. fin. n. 15. Hujus tamen rei dijudicatio pendet ex eventu litis, qui ostendit, utrum juste oblatam pecuniam recusarit emptor, nec ne. Peg. lib. sing. c. 16. Tiraqu. de retr. conv §. 4. gl. 6. n. 34. Gædd. de V. O. c. 1. num. 88. Matth. de Afflict. decis. 150. n. 172.*

CI.

Nec hic indiscussum est relinquendum, an retracturus possit pecuniam semel depositam repetere. Quod affirmo, modo sponte deposuerit, nec pendente lite à iudice coactus, aut depositio utriusque consensu facta fuerit, per l. 35. ff. de R. I. Recipiens autem pecuniam depositam, renunciasse intelligitur retrahendi juri. Mart. Peg. d. lib. sing. l. 20. ff. de jur. fisc. Nam non censetur depositum, quando pecunia recuperatur, imo & approbasse venditionem, in eamque consensisse putatur. l. 7. de leg. commiss. arg. l. 2. C. de jur. Dom. impetr. etiamsi partem tantum pecuniæ depositæ receperit. l. 6. §. fin. ff. de leg. commiss. Hinc etiam pœnitere potest retrahens oblato pretio, eoque deposito. arg. l. 4. ff. de minor. Tiraq. in fin. d. tr. n. 24. & seq. Bocer. de jur. Retr. §. 51.

CII.

Haecenus primum requisitum pertractatum; Venio ad al- II. Requi-
 terum; scilicet ut simul cum pretio quoque sumptus & expensæ situm.
 necessariae, & utiles, tempore contractus, absque fraude factæ,
 à retrahente resarciantur, text. in l. 27. post. pr. de ædil. Ed. l. 18. §. ult.
 ff. de lib. caus. l. 39. §. ult. ff. de minor. Molin. ad consu. Paris. tit. 1. §. 13. gl.
 §. n. 39. & 42. gl. 9. Tiraqu. de retract. lignag. §. 1. gl. 17. & 18. pr.
 & §. 9. gl. ult. n. 9. & de retr. convent. §. 4. gl. in pr. Gail. 2. obs. 19.
 n. 8. sub fin. Joh. Köpp. decis. 52. n. 24. & seqq.

CIII.

Expensarum & sumptuum nomine comprehendo. (1.) etiam
 sumptus vini, den Leib-oder Weinkauff. Gartz. de expens. c. 18. n. 53.
 Gail. 2. O. 19. n. 8. in fin. Klock. in relat. cam. 7. Steph. Gratian. 2.
 discept. forens. 343. num. 21. Joh. Köppen. decis. 52. n. 24. (2.) legi-
 timas usuras. constit. Frid. vers. verum si intra fac. l. 16. de in diem
 add. l. 61. pr. locat. l. 14. §. 1. comm. divid. (3.) laudemia, tributa,
 & gabellas ex statuto pro contractu debitas, etiam si emptor ea
 non solverit, vel quia à Domino donata remissive sint. Bart. in l.
 28. §. 2. ff. locati. Molin. ad consu. Paris. §. 15. n. ult. sub fin. Tiraqu.
 §. 29. gl. 4. n. 5. vel quia privilegiata persona. Nicol. Boër. decis. 23.
 pr. incip. & antequam. (4.) Eas expensas, quas emptor ante retra-
 ctum, litem quandam sustinens vel agendo, vel defendendo,
 super quibusdam juribus rei venditæ fecit. Tiraqu. §. 29. gl. 4. n.
 12. & 16. Berlich. p. 2. concl. 41. n. 39.

CIV.

Ac ne retrahenti per impensas reddatur difficilior retra-
 ctus, cautio est, ut denunciaret emptori, ne sumptus in prædium
 emptum faciat, quia ipse illud retrahere cupit. Gail. 2. Obs.
 19. n. 10. Bocer. d. Disp. 8. 63. Nam si post denunciationem em-
 ptor nihilominus sumptus faciat, eos recuperare non potest, se-
 cundum Berlich. concl. 41. n. 42. ubi plures allegat autores v. Tho-
 mas Michaël apud Klock. n. 42 §.

CV.

Voluptuarias impensas quod attinet, retrahens eas restituere
 non tenetur, quod si tamen factæ, commode tolli, vel separari à
 fundo possint, retracturus eas omnino tolli pati debet. text. in l. 38.
 vers. finge pauperem. ff. de Rei Vind. Quod si à fundo vel separari
 E prorsus

prorsus, vel saltem commodè & sine læsione prioris status non possint, pro donatis habentur. §. Ex diverso. 31. inst. de rer. Divis. Petr. Gregor. Tholos. synt. jur. univ. lib. 26. c. 21. n. 5. Conf. l. 9. de impens. in res. dot. fact.

CVI.

Tertium
requisitū.

Tantum etiam de secundo requisito, sequitur tertium, quod est, ut sibi & in suum usum retrahat: idque jurare compellitur. Gail. 2. Obs. 19. n. 10. Tiraq. §. 5. gl. un. n. 1. Gomez. ad l. Tauri. 70. n. 9. Unde & is, qui ob inopiam sibi ipsi retrahere nequit, in commodum tertii alicujus jus retrahendi non habet. arg. Nov. 55. c. 1. l. 59. §. 1. de jur. dot. l. 3. §. 1. §. 4. de leg. 1. l. 42. de adm. tut. Bocet. d. disp. §. 20. §. 5. v. Statut. Hamb. part. 2. tit. 8. artic. 4.

CVII.

Quartum
requisit.

Quartum retractus requisitum est, ut intra, vel statutis decisa, vel moribus hominum introducta, & pro locorum diversitate variantia, tempora, retractus intentetur. Sin autem statuto, vel usu longo certo tempus retrahendi præfixum non sit, tempus in jure Divino & communi constitutum observandum erit. Paul. Christin. decis. Cur. Belg. vol. 3. decis. 55. num. 1. ad fin. Berlich. p. 2. Concl. 40. n. 5. & seqq. Præfinitur autem tempus annuale sive anni & diei Levit. 25. vers. 29. idem quoque præscribit jus Canon. in c. const. 8. X. de int. rest. & mores Germaniæ receperunt, quos sequitur Camera Imp. testante Gail. 2. Obs. 19. n. 14. Mynsing. 3. Obs. 50. Welenb. 1. conf. 15. n. 87. Thomas Michael. apud Klock. d. 2. conf. 42. n. 438. consil. 57. num. 29. & seqq. vide Carpzov. part. 2. const. 32. def. 2. n. 3. Et jus Saxonicum. Moller. ad Constit. Sax. Elect. August. pag. 2. n. 1. Henning. Gōden. conf. 4. n. 18. Similiter de jure feud. feudum in remotiorem agnatum alienatum intra annum revocatur. per text. 2. F. 26. §. Titius. Berlich. p. 2. concl. l. 40. n. 5. & seqq. Richter. dec. 76. n. 141. Rol. à Vall. conf. 21. n. 10. vol. 1. v. Grav. l. 2. pract. concl. 19. gl. 1. n. 1. Steph. Gratian. 2. discr. forens. 239. n. 7. Et hoc annum tempus tam stricte observatur, ut nequidem putgatio moræ admittatur, licet consanguineus duobus aut tribus diebus, imo saltem dimidia hora post elapsum annum bona avita retrahere velit. vid. Tiraquel. §. 4. gl. 10.

CVIII.

Computatur hic annus ab initio utilis, nempe à die scientiæ: ex post

post facto vero continuus, Ignoranti quippe tempus anni non
currit. l. 1 §. annus. 4. & seqq. ff. quod vi aut clam. l. 6. in fin. de ca-
lumn. Chass. ad consuet. Burg. rubr. 10. §. 1. n. 5. vers. contrar. ta-
men. vid. Reink. d. tract. q. 7. n. 73. & seqq. Nec quicquam mo-
vet, quod annus continuus transeat de momento in momentum:
hoc enim ita procedit, nisi statutis locorum aliud cautum inve-
niatur, ut notat Gl. in rubr. ff. de div. & temp. prescr.

CIX.

Ut igitur annale hoc tempus currat, requiritur ut proxi-
mus agnatus venditionem sciverit. Thomas Michael. ap. Klpcck.
d. l. 1. consil. 57. n. 31. & ibi alleg. nec aliquod justum impedimen-
tum intervenerit, puta ægritudo vel alia necessitas, puta maris,
hyemis, vel incurfus latronum. per l. 1. sub fin. C. de annal. except.
l. 21. C. adl. jud. de adult.

CX.

Nec sola scientia sufficit, sed denunciatio quoque interve-
nire debet, etiam tum, cum is, cui fit, invenditione præsens, aut
testis fuit. l. 39. de pign. act. sciunt enim ut testes, non ut consan-
guinei. arg. l. 22. de his que ut ind. l. 26. C. de adm. tut. Marc. Mant.
ad l. dudum C. de contr. empt. n. 31.

CXI.

Non tamen hic annus proximo agnato ad retrahendum indul-
tus, statim à venditione ante traditionem facta currere incipit sed
ea demum subsequuta. v. Hillig. Don Enucl. com. 17. in fin. & non inter-
rumpitur, per solam interpellationem extrajudicalem vel citatio-
nem, sed requiritur litis contestatio. arg. l. 26. C. de R. V. l. 1. l. 2. l. 10.
c. de prescr. long. temp. l. 10. C. de acqu. poss. vid. Berlich. pr. 2. concl. 9.
n. 22. nisi emptor effugia quærat & litem malitiose contestari de-
trectet, Berlich. d. concl. 40. in fin.

CXII.

Quod si retrahens intra annum vel alium terminum à statu-
to præscriptum aut moribus receptum non denunciaret emptori
nec offerat, ut decet, pretium & de retractu agat per lapsum tem-
poris præstituti, jure congrui cadit. Tiraqu. §. 4. gl. 7. num. 36.
per l. in bello. §. si quis servum. ff. de capt. & post. rev. confer. hic
Reink. q. 7. per tot. Et si tempus præfixum, is ad quem spectabat
jus retrahendi, labi passus fuerit, censetur tacite renunciasse

E 2

jure

juri suo. l. 7. C. de censib. C. de remis. pign. l. cum plures locator. ff. locati.

CXIII.

Quid autem asserendum, si illi, cui competit retractus, non verum, sed simulatum & quidem excessivum pretium fuerit denunciatum, & ideo retrahens, tanto pretio rem retrahere nolens, expressè renunciavit juri suo, tempusque insuper effluxerit, an ob renunciationem talem tam expressam, quam tacitam, jure suo privandus? Statuo, quod retrahens in tali casu ad retractum redire possit per rationes hasce: quod fraudulentis contractibus non debeat fraus prodesse. l. 12. ff. de dolo. Et quod retrahenti non vera sed simulata venditio fuerit notificata & sic semper habuerit animum retrahendi, Denique quod probetur hæc decisio per l. 9. C. de pact. & ibi Dd. v. Tiraq. §. 4. gl. 2. & 3. In hoc igitur casu non currit tempus retrahendi, nisi à die detectæ fraudis. arg. l. annus. 6. de calumn. l. 55. ff. de adil. Ed. c. quia diversitatem. de concess. prabend.

CXIV.

Si conditio venditioni fuerit adjecta, non à tempore venditionis contractæ, sed adventus conditionis præscriptio currit. Bl. Perusin. de l. Prot. n. 14. Berlich. d. concl. 40. n. 21.

CXV.

Si controversia inter emptorem & retrahentem ipsum oborta sit, tunc etiam pendente hac controversia annus retractus non currit, sed si retrahens succubuerit, postea nihilominus intra annum & diem à tempore rei judicatæ ad retrahendum admittitur. per l. contra majores 16. C. de in off. test. Joan. Fab. d. §. 1. gl. 10. n. 40. Put. decis. 50. & decis. 199. lib. 2. Cardin. Ludovik. decis. Rot. 451. n. 2. & seqq. Berl. p. 2. concl. 40. n. 17. Limitatur verò hæc assertio, si retrahens temere hanc controversiam movisset, eo forte animo, ne tempus ei curret. Tunc enim postea si jure retractus uti vellet, amplius audiendus & admittendus non esset. text. elegans in l. 14. ff. de bon. poss. Tiraq. d. §. 1. gl. 10. n. 43. post. pr.

CXVI.

Quintum
requisitum.

Quintum requisitum est, ut omnia quæ ex natura conventionis emptorem præstare convenit, retrahens impleat, quia surrogatur in locum emptoris & per omnia & in omnibus idem habe.

habetur, ac in ejus vestigia transit, perinde ac si ipse emitteret.
Tholosan. lib. 26. c. 22. n. 4. vid. Stephan. Gratian. *discept. forens.*
400. n. 65. rom. 3. Carol. Molin. *in consuetud. Paris. tit. 1. §. 13.*
gl. 5. n. 22. Paul. Christin. *decis. Cur. Belg. vol. 1. decis. 281. num. 4.*
Matth. Wesenbec. *consil. 51. n. 17.* Intelligo etiam hic non tan-
tùm pacta expresse adjecta sed ea, quæ tacite ex ipsius contractus
natura insunt. vid. Balthasar. Bened. *in d. tr. ad pr. const. n. 217.*
Berlich. p. 2. *concl. 41. n. 20. & seqq.* Quæ non pugnant cum sub-
stantia emptionis, neque plane in aliam conventionis speciem
transeunt. Tusch. *pract. concl. 6. n. 6. verb. pactum.* Excludenda
igitur pacta simulata. Berlich. p. 2. *concl. 41. n. 8. fac. l. 25. §. ult.*
ff. solut. matrim. l. 59. eodem. l. 2. pr. ff. de jur. fisc. & claudicantia.
Prosp. Farinac. *de falsit. & simulat. quest. 162. n. 178.* Vultei, *con-*
sil. Marp. 34. n. 161. Berlich. p. 2. *concl. 1. n. 44.*

CXVII.

Hucusque de causis & externis & internis satis pro instituti *Effectus.*
mei ratione, venio ad effectum, qui consistit in actione ex
jure retractus pro-manante. Est autem illa conditio ex lege, mu-
nicipali vel moribus. *l. un. & ibi Dd. ff. de condit. ex lege. Gail. 2.*
O. 19. num. 6. Bocet. *d. disp. 25. §. 31.* Marc. Mant. *de jur. Protim.*
sub num. 33. Rosenthal. *de feud. c. 9. membr. 2. concl. 94. n. 11.* Gyl-
man. *rer. in Cam. Imp. jud. lib. 2. decis. 12. n. 11.* Card. Tusch. *pract.*
concl. 99. n. 12. lit. A. verb. actio. civilis, non mere personalis sed in
rem scripta. *Gail. 2. Obs. 19. n. 8.* Chassan. *in consuet. Burgund. tit.*
des. retractis. §. II. ad verb. ou detenteur. n. 2. 3. 4. Berlich. *part. 2.*
concl. prad. 39. n. 97. Gylm. *l. 2. decis. 12. n. 16.* ex quasi contractu
arg. t. t. inst. de oblig. quæ ex q. contr. Bocet. *d. Disp. §. 31.* stricti ju-
ris, quæ datur proximioribus adversus possessorem non tantum
primum, verum etiam secundum & sequentes imo adv. ul-
timum. *l. 3. §. 1. & ibi gl. in verb. est autem personalis. ff. ad exhib.*
Menoch. *cons. 756. n. 19. & seqq.* Schrad. *de feud. p. 2. sect. 9.* ad rem
ipsam una cum fructibus, post institutum retractum perceptis,
retrahendam.

CXVIII.

Ex hisce concludimus, actori integrum esse, tam in loco do-
micilii, quam rei sitæ eam intentare. Br. *in l. ult. n. 2. in f. C. ubi in*
rem act. exerc. Bl. in d. 1. de Pet. her. Firaq. d. tr. §. 8. gloss. num. 9. &
seqq. Paul. Christin. *decis. vol. 2. decis. 165. n. 19.* Gothfr. Anton.

E 3

Disp.

Disp. Feud. 10. §. 2. Bernhard. Gray. part. 2. concl. 19. num. 8. Pe-
gius. l. 2. c. 30.

CXIX.

In §. 117. mentio facta est fructuum; notandum igitur,
fructus, quos ante retractum emptor percepit, à iudice ipsi de-
bere adjudicari, verum à litis contestatione. l. 20. de R. V. l. 31. de
reb. cred. l. 2. l. 38. §. 7. de usur. Tiraq. d. §. 15. gl. 2. n. 4. vel si sub-
terfugiat, à tempore oblationis rite & debite à retrahente factæ,
deductis tamen impensis quærendorum, colligendorum conser-
vandorumque gratia factis, restituere tenetur. Tempore litis
contestatæ, & quo res redimitur pendentes, inter emptorem &
retrahentem pro rata temporis dividendi sunt. vid. C. A. d. t. §. 30.
in fin. Reink. d. tr. 9. §. 8. per tot. vid. Hahn. ad Wes. tit. de Resc. vend.

CXX.

Tantum de effectu, progrediendum mihi est ad Dissentanea,
quæ vel diversa, vel contraria; Diversa sive affinia, cum ex divi-
sione supra. §. 6. proposita aliquo modo pateant, breviter tantum
quædam addam. Supra monui. §. 3. pactum de retro vendendo
à nonnullis Dd. jure protimeseos æquiparari. vid. Dn. Carpov.
§. responso. 32. n. 8. & 12. sic Rauchbar. i. q. 37. n. 94. promiscue
his terminis utitur; Verum differt pactum de Retrovendendo à
retractu in specie sumpto. (1.) Subjecto, quod protimeseos jus
amplissima latissimaque potestate polleat offerendi licitationem,
cuicumque libuerit, Pactum retrovendendi autem strictissime ad
venditorem primum vel ejus heredem plerumque coërceatur.
(2.) Objecto ita, quod ibi pretium rei per multos licitatores ple-
rumque intendatur. Hic ut plurimum ad quantitatem prioris
emptionis redigatur. (3.) Forma; Protimesis enim varias formas
pro diversitate causarum ex lege generali, jure gentilitio, con-
ventionem recipit. Retrovenditio regulariter sic concipitur, ut
emptor teneatur rem retrovendere tempore pretioque consti-
tuto, licet aliquando pactum hoc immutetur, sic, ut venditio re-
tro agatur, simulatque emptori pretium redhibendi facultas vel
lubentia fuerit. (4.) Effectu; in pacto retrovendendi dominium
revocabiliter transfertur & usurpatione longe remissiore quam
in protimesi, in qua regulariter dominium, irrevocabiliter & ple-
niore cum effectu transfertur.

CXXI.

Dicendum quoque hic esset de retractu conventionali, qui
affinis

affinis est retractui gentilitio, verum ne in nimium disputatio ex-
crescat, in præsentiarum quasdam tantum differentias afferam ho-
rum retractuum (1.) ita differunt ratione causæ efficientis, quia
conventionalis dependet, ex propria partium provisione; at gen-
tilitius ex provisione legis, seu consuetudinis. *vid. supr. §. VIII.*
(2.) ratione actionis: ex retr. gent. ut dictum est, Condictio ex
moribus vel statuto, &c. At ex Retr. convent. descendit simplici-
ter actio personalis, ex empto vel præscriptis verbis. *l. 2. C. de pact.*
int. emptor. & vend. Lindem. de jur. protim. c. 4. §. 7. Perez. ad l. 1. c. de
pact. int. emptor. n. 10. vid. Gail. 2. O. 16. n. 3. 4. (3.) ratione præ-
scriptionis, quod retractui proximitatis præscribatur, anno & die
jure communi. *arg. 2. F. 26. §. Titius: nisi statuto & moribus aliud*
tempus sit inductum. Ita ut si retrahens intra illud non agat, ex-
cludatur. Contra verò juri retractus conventionalis dicunt
præscribi non nisi 30. annis ceu placet Wesenbec. tit. de resc. vend.
Verum Mynf. 10. 16. Gail. 2. Obs. 18. & Dd. communiter volunt
præscriptionem hic excidere & redemptioni locum esse in per-
petuum. vid. Hahn. ad tit. de Resc. vend. ubi ad contrariam opinio-
nem respondet.

CXXII.

Contraria consistunt, vel in persona, *vid. qua supra allata*
sunt in subject. vel in rebus. vid. objectum supra. vel requisitis non
servatis. Verum cum & de hisce satis in thesibus dictum sit,
eorum explicationem operosè non repetam. Et hæc de jure re-
tractus sufficiant, quæ qualia sint, æqui bonique Lectoris candori
& censuræ submitto: animus mihi non fuit, absolutum com-
mentarium, quem quidem proposita hæc atq; elegans satis ma-
teria optimè meretur: sed suadente ipsa instituti ratione, & quo
circumscrip-tus breviori pro materiæ amplitudine
temporis spacio, theses tantum quasdam
conscribere.

Deo Triuni sit laus & gloria in sempi-
terna secula.


F I N I S.

Strassburg, Diss., 1659-60

ULB Halle

3


005 607 590



TA → OL

VD 77







DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
JURE ΠΡΟΤΙΜΗΣΕΩΣ
SIVE RETRACTUS.

Quam

SUB PRÆSIDIO ADORANDÆ SACRO-
SANCTÆ TRINITATIS

Ex Decreto & Autoritate

MAGNIFICI, NOBILISSIMI,
AMPLISSIMIQUE JURISCONSUL-
TORUM IN CELEBERRIMA ARGEN-
TORATENSIVM UNIVERSITATE

COLLEGII

Pro

Summis in utroque JURE Honoribus & Privi-
legiis ritè consequendis

PVBlico AC SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI

Submittis

REINHOLDUS WETKEN

HAMBURGENSIS.

Ad diem Mens. Aug. horis locoq̄ consuetis

OS: * * (:o:) * * :SO

ARGENTORATI

Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DG, LIX.

2137

1659, 198

20

31

23

